DE OPERA SCHOLASTICA

FRATRUM VITÆ COMMUNIS

IN NEDERLANDIA

THESIM
PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI
AD GRADUM DOCTORIS PROMOVENDUS

G. BONET MAURY
THEOLOGIÆ DOCTOR.

Scholas tenent et non tantum litteras, sed mores quoque suos discipulos et bene vivere docent.
(MASSÆUS).

[Thèse Paris]

LUTETIÆ PARISIORUM
APUD L. CERF, BIBLIOPOLAM
13, VIA DICTA DE MEDICIS, 13

MDCCCLXXXIX

REVERENDISSIMO MAGISTRO

OCTAVIO GREARD

ACADEMIÆ PARISIENSIS RECTORI
UNI EX XL SODALIBUS GALLICÆ ACADEMIÆ

GRATI ANIMI PIGNUS

D. D.

G. Bonet Maury,
Olim ejus discipulus.

DE OPERA SCHOLASTICA

FRATRUM VITÆ COMMUNIS

IN NEDERLANDIA

PROŒMIUM

Hoc proprium est novarum potestatum sibi nimium fidere et vires ad extrema exercere. Quod juvenile vitium Ars censoria, recentioribus nata temporibus, minime effugit; nam audacter impugnavit quæcumque a sacris vel profanis scriptoribus olim tradita erant, ab Homero et Moïse ad auctores renovatarum in XV° seculo litterarum, ita fere ut nihil ex omnibus quæ vera esse et indubitata existimaverant majores nostri intactum reliquerit.

Idem nuper accidit Fratribus Vitæ Communis. Jam inde a XV° seculo illos omnes historici laudibus efferebant; optimi puerorum institutores ab omnibus — salvo forsan Erasmo — habebantur et illorum merita prædicabantur de humanioribus factis studiis; a Luthero etiam et Melanchthone laudata erat « pietas illa literata », qua mores scholarium in melius mutati fuerant; quum voces quasi extra modum absonæ repente intonuerunt in concentu omnium laudum. Repertis enim aliquibus erroribus in uno opere historico XVIII seculi ad scholam Daventriensem

pertinente, critici quidam ex his illico conjecerunt « Sodalitio Vitæ communis nec in principio, nec postea propositum fuisse educare pueros, vel magistros informare ». Quin etiam, asseruerunt « Fratres satis habuisse hospitio recipere pauperes scholares, ab eis confessionem delictorum audire et curare ut pietatem bonosque mores colerent ». Quod quidem argumentum primum a Dillenburgero, non sine modo ac modestia[1]; deinde a Carolo Hirschio cum magno fervore explicatum fuit, in erudita de Fratribus Vitæ Communis dissertatione, quam decem annis ante scripsit[2].

Hanc autem sententiam ut falsam rejicio, utpote quæ repugnet multis et consonis testibus infra citandis. Ex his enim licet conficere, Hieronymitas non tantum instituendis, sed etiam docendis pueris operam dedisse; plerosque eorum habendos esse in numero magistrorum docendi peritissimorum; denique ab iisdem in lucem editas, imo typis mandatas fuisse novas simplicioresque methodicas, ad docendas veteres linguas vel etiam scientias novas, quæ ab Historia vel Natura nomen acceperunt.

Nunc satis est reducere quæstionem ad verum temporis punctum et breviter exponere, quomodo tam contraria orta sint judicia. Hæc, mea quidem sententia, est præcipua causa controversiæ, a criticis permixta fuisse exordia Sodalitii cum posterioribus temporibus. Constat enim Gerardi Magni discipulos opus incepisse, corrigendis moribus clericorum et sorte pauperum scholarium in melius mutanda, quæ quidem assecuti sunt labore scribendi istis

[1] *Geschichte des Gymnasiums zu Emmerich*, im Jahresbericht am demsellen 1845-46, pag. 38. Dillenburgerus nempe hoc asserit, solum quod pertinet ad Embricam, Delfium, Bruxellas et Monasterium (Westphalia).

[2] Herzog et Plitt : *Real-Encyclopædie der theologischen Wissenschaften*. Art. *Brüder des gemeinsamen Lebens* (1878).

parato apertisque hospitiis. Quæ prima ætas mystica vocari potest (MCCCLXXI ad MCD). — Paulatim vero, consuetudine hac quotidiana magistrorum et studentium effectum fuit, ut Fratres « bonæ voluntatis » (ut vocabantur) ceperit studium docendi. Inde nonnulli rudimenta pueros docere inchoaverunt, magna cum diligentia patientiaque; non multis post annis tam idonei ad hoc opus evaserunt magistri, ut rectores ludorum vel civitatum magistratus illos arcessiverint ad regendas classes. Secunda est ætas, quam scholasticam dixerim (MCD ad MDV). Deinceps, quum nonnulli Fratrum alumni inter primos Renascentium Litterarum fautores inclaruerint, pulchro alti successu, eo adducti sunt, ut litteris humanioribus edocendis toti incubuerint et priscas humiliores scholas in « gymnasia » converterint. Quam ultimam sodalitii ætatem « Literariam vel Humanam » appellare licebit (MDV-MDC).

Ecce autem altera causa, ex qua orta sunt repugnantia ista judicia, aliis asserentibus Fratres vitæ communis operæ scholasticæ addictos fuisse, aliis contra nullam ab iis apertam, vel etiam rectam fuisse scholam. Videlicet, duæ res penitus distinctæ a criticis in unum et idem immerito redactæ sunt : *schola* sive *ludus,* in quo docentur pueri ; et *collegium*, sive domus, in qua hospitio recipiuntur, aluntur et instituuntur ad bonos mores. Quam nempe distinctionem oportet servare, si lucide dispicere velis, quomodo studia in Medio Ævo constituta sint. Hoc enim bene compertum est Hieronymitas, in principio, aperuisse hospitia quædam quibus pauperrimi recipiebantur ; hi autem « alumni » consueverant uti scholis Capituli vel Municipii ad studendum. Posteriore tantum ætate, ut infra explicabitur, proprias scholas aperuerunt Fratres et non tantum *alumnos*, sed etiam *discipulos* habuerunt. Oportet igitur penitus dignoscere : scholas antecedentes, quibus Fratres

adjumento tantum fuere; — collegia ab iis condita, et ludos litterarios seu *gymnasia* quibus ipsi demum præfuerunt.

Quocumque modo se res habeat, si lectorem adduxero ad credendum Fratres Vitæ Communis revera fuisse peritos instituendæ edocendæque juventutis tutores; ab illis non modo morum regulam genusque pietatis erga Deum, sed etiam docendi rationem in melius mutatam, imo, novas artes antiquis Trivii Quadriviique disciplinis additas esse, contentus ero, quod merita tam modestorum magistrorum illustraverim et, pro virili parte, contulerim aliquid in historiam scholarum in Medio Ævo accuratius cognoscendam.

CAPUT I

DE STATU MORUM AC LITTERARUM IN EUROPA, IMPRIMIS DE SCHOLIS IN NEDERLANDIA, MEDIO QUARTO DECIMO SECULO.

Gravissima erant in quarto decimo seculo discrimina rerum ecclesiasticarum ac publicarum, unde novum mentis humanæ nascebatur ævum; nihil enim ex abrupto, sive in natura rerum, sive in humano genere oritur, nisi signa quædam præcurrerint idque præparaverint. Ut christiana fides ab hebræis prophetis, postremo a Joanne Baptista, prænuntiata fuit, ut prima Francogallorum Respublica ex libris philosophorum XVIII seculi orta est : sic ætas qua litteræ veteres in novam lucem, et ecclesia catholica ad priscum morem sunt revocatæ, in duobus ultimis Medii Ævi seculis viros habuit prævios, qui « *Reformatores ante Reformationem* » non immerito vocari possunt [1].

Inter quos eminet magister Gerardus Magnus et dignissimus est ad quem vitiorum exactores, simul ac fautores

[1] Vide ULLMANN : *Reformatoren vor der Reformation* Hamburg, 1841-42, 2 vol., in-8°.

literarum respiciant. Quum enim æqualis ejus Joannes Wiclefius initium fecisset vernaculæ linguæ adhibendæ ad Sacram vertendam Scripturam, et ad prædicandum coram populo Evangelium; quum populares ejus Maerlantius atque Rusbrochius jam in flagitia clericorum invecti fuissent; ipse piæ ab his inceptæ pugnæ tenorem, fortiter servavit, atque, institutis *Fratrum vitæ communis* et *Canonicorum Windesemensium* sodalitiis, maximo fuit adjumento ad restituendas veteres litteras, et apostolicam erga Deum pietatem, non tantum in sua patria, sed etiam in finitimis regionibus. Videamus ergo quomodo se res haberent, tempore Gerardi Magni, quum in ecclesia catholica, tum in Parisiensi academia, quum in civitatibus Germaniæ inferioris, tum in litterarum republica et in mysticis scholis, ex quo colligere possimus quantum valuerit et quam late patuerit ejus reformatio. Summi pontificis imperium, posquam, Innocentio III regnante, in summum fuerat perductum, tunc, orto jam certamine inter civilem et ecclesiasticam potestatem, senescebat. Quæ causa corrupti ecclesiæ status, jam a Dante Alighiero initio XIV seculi, his indicabatur versibus:

Duo Soles erant Romæ, orbis terrarum magistræ,
Qui duas ad Deum et ad mundum vias illuminarent:
Ab uno extinctus est alter!
Pastorali baculo jungitur gladius;
At ambo, vi conjuncti, ægre congruunt,
Utpote qui, eadem manu habiti, sese invicem impediant.
Mihi si credere nolis, aspice messem,
Ex fructibus enim quoque agnoscitur arbor [1]!

Ex quo enim sese publicis rebus immiscuerant Romani

[1] Vide DANTE ALIGHIERI : *La Divina Commedia; il Purgatorio*, cant. XVI (ad finem).

pontifices, minime proficiebant; quumque Bonifacii VIII successores quasi captivi Avenione viverent, speciem potestatis, injuria Philippi IV Franciæ regis ademptam, non poterant officiorum auctione recuperare, qua servitutem suam consolabantur. Omnia in Avenionensi curia venibant : vacationes, appellationes, immunitates, redemptiones a votis, veniæ et, imprimis, officia ecclesiastica. Quin imo, turpis ista auri fames Schismate latinæ ecclesiæ valde fuit irritata; nam, ad alendas duorum vel trium pontificum curias, cogenda fuit duplex, vel triplex annatarum et decimarum summa. Quum autem, in omni hominum societate, eo latius invalescant exempla, quo a superioribus civibus præbentur, summi pontificis instar, episcopi, abbates atque monachi mendicantes quæstus iniquissimos ex christiano populo exercere solebant. Qui pastores et doctores gregis erant constituti, agebant peculatores et tyrannos. Episcopi Trajectenses, imprimis, erant principes formidandi in Germania inferiore, inter quos Joannes Arkelius factus est celeberrimus bellis suis adversus Hollandiæ comites [1].

Talibus ducibus, non poterant mores clericorum, in seculo viventium, non in pejus abire; imprimis, cum cura animarum non dignissimo et doctissimo cuique, sed maximi pretii licitato locaretur, presbyteri incultu torpescebant; obliti latinæ linguæ, qua ecclesia publice loquebatur, nondum didicerant vernaculam, qua populus utebatur. Plerique focaria, pro bibliotheca, fruebantur; et qui moribus modestiores erant, pro catechumenis, canes falconesque ad venandum alebant. Adeo obsoleverat Evangelii prædicatio, medio XIV seculo, ut synodus Tornacensis

[1] Cf. J. van Lennep : *De voornaamste Geschiedenissen van Noord-Nederland, aan zijn Kinderen verhaald.* Amsterdam, 1855, 4 vol. in-12. — Vol. I, p. 122 sq.

coegi curiones, quibus non esset prædicandi facultas, externum oratorem, semel in mense, arcessere [1].

Clerici quidem sub regula, doctiores et diligentiores erant quam qui in seculo; sed contra, nimia opulentia et more vagandi, dissolutiores sæpius se præbebant. Ex monachorum sodalitiis, soli Carthusienses et Carmelitæ tria ab initio instituta vota, scilicet paupertatem, castitatem et obedientiam stricte servabant, quibus Sanctus Bruno silentii regulam addiderat. At Franciscani et Dominicani, quorum monasteria in urbibus super Ysalam sitis ab anno MCCCXVI exsistebant, certatim divitias sui ordinis augere conabantur, atque divinum officium, seu disputationibus scholasticis habendis, seu vanis religionibus prædicandis prostituebant. Adeo ut quidam doctor ex Sorbona asseruerit : « Fratres Mendicantes non esse nec fuisse pas-» tores, sed fures, latrones et lupos » et Bulla « *Regnans in excelsis* » qua papa Alexander V istorum privilegia vindicabat, a Gersonio reprehenderetur et haberetur a Facultate Theologiæ Parisiensi « intolerabilis et totius ecclesiastici status perturbatrix [2] ».

Universitas illa Parisiensis, ex initio XIV seculi constituta, quæ tunc temporis omnes alias supereminebat, et sui juris erga Summos Pontifices remanserat, adhuc tamen ancilla erat theologiæ, atque vicissitudinibus ecclesiæ laborabat; utpote quæ in libero disciplinarum ac litterarum processu a vicina Avenionensi curia impediretur. Scholastici enim ad prælectiones de theologia vel de jure canonico affluebant, quoniam duæ illæ artes viam ad honores et officia aperiebant. Imo si quis clericus abbatiam vel episcopatum appetebat, spreto Evangelii studio et

[1] W. Moll : *Johannes Brugman, en het godsdienstig leven onzer Vaderen, in de XV^de eeuw.*, Amsterdam, 1854, 2 vol. in-8°. — Vol. I, p. 148 sp.

[2] Bulæus : *Historia Universitatis Parisiensis*, vol. V, p. 196-201.

derelictis sui muneris officiis, vagabatur in porticibus Academiæ, ubi disputando de « quolibet » et de vanis quæstionibus diem mora extrahebat[1]. Rursus in facultate Artium, vigentibus controversiis inter Realium et Nominalium sectas, ita prolapsa erat eloquentiæ professio, ut Nicolaus a Clamengis testaretur « se neminem in arte dicendi peri-
» tum Parisiis invenisse, et fuisse coactum ad se ipsum
» studio et usu informandum[2] ! »

Ars anatomica vix nata erat, operibus scholæ Bononiensi[3] et medicina, quæ diu reservata fuerat clericis et monachis, utebatur adhuc supplicationibus ad Virginem Sanctosque vel etiam magicis Chaldæorum formulis, ad morbos curandos. Inter quos præpollebat Persicus quidam astrologus, nomine Albumanasar, cujus libri de *Initio et fine mundi*, atque *de Prœnuntiis cœlestium concursionum* a peritis seu divinarum, seu civilium rerum viris frequenter inspiciebantur[4].

Ars autem politica, quæ adhuc ex ecclesia pependerat, quum liberatis municipiis, tum jurisperitorum auxilio qui principibus inserviebant, incipiebat sui jurisesse et legibus uti propriis. Nempe cives urbium Germaniæ inferioris, freti divitiis mercatura acquisitis, summo principe ipsos adversus dominos inferiores tutante, chartas impetraverant, quibus libertas semetipsos regendi erat confirmata. At, ut nova solet potestas vires ad ultimum producere, urbani, versa vice, conabantur clericos immenso quæstu spoliare,

[1] V. Bulæus : *Historia Universitatis Parisiensis*, vol. IV, p. 888. Cf.

[2] Nicolaus a Clamengis : *Epistola LXXV*.

[3] Mundinus, magister medicinæ in academia Bononiensi (defunctus MCCCXXVI) primus inter moderni ævi medicos, cadavera prosecuit ; librumque *De re Anatomica* scripsit, qui apud chirurgos diu viguit. Pavia, 1468, folio.

[4] Præcipua Albumanasaris opera, ex anno MCCCCLXXXIX ad MDXV quater typis mandata fuere.

quem ex plebis superstitione in Medio Ævo exercuerant. Quamvis in plebe vestigia barbariæ adhuc superessent, scilicet mos ultionis, atque studium aleæ, mimorum et popinarum, plurimi tamen cives, labore improbo et feriendorum consuetudine fœderum, cœperant virtutes parare, quæ ad familiam civitatemque regendam pertinent, ita ut pleraque in hac regione municipia bene et potenter essent constituta.

Tres imprimis civitates provinciæ super Isalam sitæ: Daventria, Campi, Zwolla, sese collegio mercatorum adjunxerant, cui nomen erat *Hansa*, atque reges Danorum comitesque Hollandiæ pro sociis vel patronis habebant, cum ipsæ sub principatu episcopi Trajectensis essent [1].

Mercatura, cui bella nocent, florescit contra pacis artibus, favetque ipsa litterarum studio, utpote quæ, simul ac merces, rerum notitias et opiniones hominum permutet. Scholæ igitur, in mercatoria illa regione multo ante profecerant, quam in Germania superiore, curantibus primum episcopis vel abbatibus, deinde comitibus Hollandiæ et Flandriæ [2].

Tria Scholarum genera in Nederlandia, ante Gerardi Magni tempus, dignoscuntur; I°, Scholæ, apud cathedrales ecclesias et monasteria fundatæ; II°, Scholæ capitulis adjunctæ; III°, Scholæ a principibus et municipiis gestæ [3].

I. Antiquissimæ quidem ab episcopis Leodii et Trajectis ad Rhenum institutæ fuerunt. Leodiensis schola fuit, a tempore Caroli Magni ad exordium XII seculi, locus scholaribus gratissimus et frequens magistrorum semi-

[1] Delprat: *Verhandeling over de Brœderschap van G. Groote*. 2e édit. Arnhem, 1856, in-8°.

[2] Cramer: *Geschichte der Erziehung und des Unterrichts in den Niederlanden wæhrend des Mittelalters*, Stralsund, 1843, in-8°.

[3] Stallaert et Van der Haeghen: *De l'Instruction publique au Moyen-Age* (en Belgique). Bruxelles, 1853, in-8°.

narium, faventibus pluribus curiosis litterarum episcopis. Inter illos doctores claruerunt Ratherius qui grammaticam scripsit, cujus nomen *Servadorsum* asperam Medii Ævi disciplinam satis indicat; Euraclus (959-981), Notkerus (971-1008) et Wazo (1042-1048). Euraclum fertur primum in scholas, deficientibus magistris, intulisse simul docendi methodum a Ferreolo inventam, secundum quam scholares in decurias dividebantur, quibus præerant monitores. Tres in urbe Leodio inerant scholæ: apud S^ti^ Lamberti cathedralem, atque apud monasteria S^ti^ Jacobi et S^ti^ Laurentii. In reliqua quoque diœcesi, curaverunt episcopi scholas instituendas apud monasteria Lobbesii, Gemblaci et Stabuleti.

Quemadmodum Leodium, in Nederlandia inferiore, sic Trajectum in superiore, origo et quasi fons erat vitæ scholasticæ. Schola S^ti^ Martini celebris facta fuit, regente Gregorio episcopo, discipulo Bonifacii, qui artem grammaticam ex Charisii et Donati præceptis composuerat. Inter scholares autem supereminuit Ludgerus, ortu Frisius et Alcuini amicus, qui plurimos libros ex Eboracensi schola eo attulit et tantum de ecclesia meritus est Evangelio paganis prædicando. Ex Trajectensi schola processerunt primi rectores ecclesiarum Monasterii, Osnabrücki et Bremæ; necnon et magistri scholarum apud monasteria Aduardi, Egmonti et Noviomagi. Celeberrima fuit Aduardi schola, cujus bibliotheca pulcherrimis Græcorum latinorumque scriptorum exemplaribus ornata erat et a Wesselo multum laudata fuit.

II. Successerunt monasticis scholis eæ quæ apud capitula adjunctæ fuere. Priores clericis et nobilibus pueris præsertim profuerant; istæ vero ad educandos civium pueros conditæ sunt, eo tempore quo municipia primas libertatis chartas conquisivere. Tales autem erant, in diœcesi Leodiensi, scholæ S^ti^ Bartholomæi (Leodii) et S^ti^ Al-

bani (Namurci); in Cameracensi, scholæ Stæ Gudulæ (Bruxellis) et B. Mariæ (Antwerpii); in Trajectensi, scholæ Servatoris, Sti Petri et Sti Joannis in urbe Trajecto-Rheni et scholæ Daventriæ et Zwollæ, de quibus postea agetur.

III. Plurimæ in Flandria scholæ, non tantum ab episcopo, quantum a comite ac scabinis urbium dirigebantur; magistri autem erant clerici et canonici, quod ex chartis scholarum Bruxellensium et Gandavensium constat. In Hollandia vero, scholæ auctoritati episcoporum vel capitulorum admodum substractæ fuere. Jus enim conferendi magisterii a comite Hollandiæ pendebat, qui hoc magistratibus urbium deferebat; prima illa docendi privilegia, laïcis collata, attributa fuere Dordraco (MCCXC), Lugduno Batavorum (MCCCXXIV) et Roterodamo (MCCCXVIII). Municipales illæ scholæ magno fuere adjumento fautoribus recentiorum Litterarum.

Ex curioso illo et ad libertatem prono Batavorum ingenio ortæ erant medio XIII seculo litteræ vere vernaculæ. Anno circiter MCCL, Jacobus Maerlantius, omissis latinis gallicisve versionibus quibus omnis litterarum notitia in Flandria consistebat, primus usus est patrio sermone[1] ad inchoandum novum poeseos genus, ingenio gentis illius subtili simul atque industrioso mirabiliter congruens, scilicet didascalicum et satiricum carmen. In Dialogis suis, qui versibus ad finem consonantibus scripti sunt, extorta per vim optimatum privilegia vehementer increpat, simul ac clericorum avaritiam et cupidinem dominandi, atque, vindicata pro civibus omnibus æqualitate et libertate, testatur ingenuam nobilitatem animo inesse et a Deo procedere. Dum ita Maerlantius vitia clericorum

[1] Verbis *patrio* vel *nederlandico* sive *teutonico sermone* significamus vernaculam Batavorum et Belgarum linguam, quæ a philologis *alt-nieder-deutsch*, sive *dietsch* appellatur.

persequebatur, isdem « Historiam veteris ac Novi Testamenti », atque « Acta Stæ Mariæ, Stæ Claræ et Sti Francisci » versibus componebat[1].

Marlantio successit Joannes Boendalius, dictus « Clericus », quia libellos Antverpiæ civitatis curabat, qui pro civium libertate adversus cleri dominationem pugnavit[2].

Illorum ducum vestigia persecuti sunt auctores sine nomine, sed non sine industria, qui cantilenas et mimicos jocos, instar Atellanarum fabularum, ad risum populi scripserunt. Nec præter hæc secularia et satirica poemata, deficiebant antiquiora mysteria « de Passione Christi », atque devota carmina de Virginis et Sanctorum laudibus. Hoc est enim proprium ingenii Flandrici quod, dum ad superiora cœli scrutanda fertur, nunquam tamen recto judicio et bona mente careat; nempe Batavi neque pietatem erga Deum a bonis moribus, neque mores a castigante satira vel comœdia dissociaverunt.

Indole igitur prompti erant ad mysticam morum reformationem quæ initium cum XII seculo et finem cum XVI cepit. Jamdiu in duas partes discesserat ecclesia catholica : aliis quidem summi Pontificis potestas videbatur absolutum esse et supremum imperium ; alii vero Papam habebant pro *capite ministeriali* ecclesiæ, sub auctoritate œcumenici concilii. — Inter priores erant Italici et Hispanienses theologi; contrariam vero opinionem tenebant Francogalli et Flandrici. Quemadmodum a Sorbonæ doctoribus primum provocatum fuit ad œcumenicum concilium quod « ecclesiam in membris et capite reformaret », sic in Germania inferiore, prima surrexerunt sodalitia quæ aspe-

[1] V. J. te Winkel : *Maerlant's werken beschouwd als spiegel van de XIIIde eeuw*. Leiden, 1877, in-8°.

[2] V. M. de Vries : *Jan van Boendale's Leekenspiegel*. Leiden, 1846-48, in-8°.

ris scholasticæ doctrinæ formulis et dissolutis clericorum moribus reluctata sunt, nempe « Lollardi » et « Beguinæ ».

Lollardi, a verbo *lullen* appellati quod teutonice « susurrare » significat, exorti sunt Antwerpiæ, in primis XIV seculi annis, quibus Germania inferior frequenti conflictata fuit pestilentia. Extra votorum religionem viventes, cinerea tantum stola induti, incumbebant curandis ægrotis, mortuisque sepeliendis. Mox autem cum « Beggardis », permixti fuere, qui Lovanii initium habuere, eademque caritatis munera suscipiebant [1].

Beggardi ad exemplar « Beguinarum » constituti fuerant quæ a teutonico verbo *beggen* quod significat « mendicare » nomen ducebant. Postquam enim, piis bellis pro liberando Christi sepulchro susceptis, innumeri Europæ christianæ viri in Asia ceciderant, turba viduarum atque orphanorum, sine perfugio vias et compita urbium percurrebant, clamantes : « Date Panem ! Panem ! Dei gratia ! » Ne mos ille vagandi pejora afferret mala, civitatum consules sive optimates miseras has mulieres in domos quasdam congregaverant, quibus nomen erat *Beguinagium* et ubi, legendis sacris libris et ægrotis curandis incumbebant. Quæ vota castitatis et obedientiæ nuncupabant, imperante magistra ab omnibus electa ; sed nihilominus consuetudines cum secularibus servabant, suique juris manebant ad nubendum vel ordinem derelinquendum. Etsi propriam rem servabant, fructus laboris ad communia afferebant [2].

Hoc autem erat proprium omnium horum sodalitiorum,

[1] Eodem cognomento *Lollard* designati fuere pauperes presbyteri, qui Wyclefio duce, Magnam Britanniam, prædicando lingua vernacula Evangelio percurrebant ex medio XIV seculo. Cf. E. DE BONNECHOSE : *Les Réformateurs avant la Réforme*. Paris, 1845. 2 vol. in-8°. Vol. I, p. 239.

[2] V. AUGUSTE JUNDT : *Histoire du Panthéisme populaire au Moyen-Age et au seizième siècle*. Strasbourg, 1875, in-8°, p. 47 sq.

quæ ad laïcam simul et ecclesiasticam societatem attinebant, quod a votis perpetuis vindicata erant et, caventia a presbyterorum ministerio, cum ipso Deo per orationem et contemplationem communicare solebant. Cetera, cum in talibus cœtibus cultus litterarum tam sacrarum quam profanarum torpesceret, mox prolapsi sunt Lollardi in eosdem erorres in quos « Fraticelli » atque « Fratres dicti a Libero Spiritu, lapsi erant » scilicet in pantheïsmum, effrenatamque morum licentiam ; nonnulli tamen Beggardorum congregationes fidei catholicæ adhærebant.

Inter, vel ut ita dicam, super hæc mysticorum sodalitia, eminuerunt in XIV seculo quatuor doctores, qui mysticam doctrinam ad summum perduxere, sed ipsi plus minusve ad pantheïsmum quoque proni fuere. Illi autem vocantur : magister Eckardus (mortuus MCCCXXII) qui doctrinas Fratrum Liberi Spiritus expurgavit atque ratione ac modestia adhibita composuit ; Joannes Taulerus, Argentoratensis (mortuus MCCCLXI) qui « de Vita et passione Christi » et « de paupere Christi vita imitanda » excellenter scripsit, miraque præcellebat eloquentia ; Henricus Suso (mortuus MCCCLXV) in urbe Constantia natus, qui mysticum sodalitium cui nomen est « Amicos Dei » per omnes Rheni partes diffudit ; denique Joannes Rusbrochius a Bruxellis [1]. Qui omnes, mirabile dictu, ex Rheni valle orti erant atque circa Coloniam Agrippinam prædicavere. Rusbrochius, imprimis, familiariter conversabatur cum « Amicis Dei », qui se in contemplandis Christi passione et Mariæ dolorbus conterebant et quibus honori dedit suum librum *De Ornatu spiritualium nuptiarum* [2]. Ipse sexa-

[1] V. Charles Schmidt : *Etudes sur le Mysticisme allemand au Moyen-Age*, *Mémoires de l'Académie des Sciences morales et politiques*. Vol. II. Savants étrangers.

[2] V. Auguste Jundt, in opere citato duos affert tractatus *Rullmanni*

gesimo ætatis anno derelicta Stæ Gudulæ in Bruxellis ecclesia, cujus vicarius erat, recessit in monasterium Vallis Viridis (in Zonia Silva), ubi duo hæc sibi sumpsit : primum ut reformaret prolap-sum Augustinorum Sodalitium, dein ut clericorum mores ad honestam mysticamque vitam reduceret, quippe qui eis inertiam, intemperantiam et impudicitiam crimini daret [1].

Rusbrochius, quadraginta annis Gerardo nostro major natus, maxima tamen auctoritate apud illum suum popularem valuit ; scilicet, proferendis ei arcanis mysticæ erga Deum pietatis et monstrato renovati monasterii exemplare, illi viam aperuit.

Merswini, insignis hujus sectæ magistri quibus nomina sunt : *Das Baner Buechelin* et *Das Buch von den drie Durchbruchen.*

[1] V. Surius : *Opera omnia venerabilis prioris Rusbrochii.* Coloniæ, MDLII, folio. — Vita, cap. VIII.

CAPUT II

DE MAGISTRO GERARDO MAGNO, INSTITUTORE SODALITII FRATRUM VITÆ COMMUNIS (MCCCXL AD MCCCLXXXIV).

Daventria itinere unius diei distat a mari quod Australe vocant Batavi (*Zuyderzée*) in amœno prosperoque situ, ad dextram Ysalæ fluminis ripam, quod Rhenus habet pro ostio septentrionali, et quo mercatores Italici utebantur ad merces in Scandinaviam vehendas. Quo negocio ditissimi facti cives hujus urbis, eorum adjuvante principe, Trajectensi episcopo, eruerant circumjecta tyrannorum castella, quorum tamdiu fuerant vectigales ; vix autem a rapacibus istis dominis liberati, impetum faciebant in formidabilem cleri regularis potentiam. Dum vitia monachorum recidere ita conabantur, doctrinis tamen et ritibus catholicæ fidei stricte adhærebant.

A talibus parentibus, Deo devotis, sed libertati nihilominus addictis, natus est Daventriæ, anno Domini MCCCXL, mense Octobri, Gerardus noster dictus nederlandice *Gerhard Groote*[1]. Prima litterarum elementa didicit

[1] Pater ejus, *Werner Groote* officium scabini renuntiavit, propter causam juridicam ortam inter magistratum civitatis et capitulum S^{ti}-Lebwini.
ACQUOY : *Het Klooster te Windesheim*. Utrecht, 1875, 4 vol. in-8°, vol. I, cap. I et II.

Daventriæ, Aquisgrani et in Colonia Agrippina, in qua urbe florebat schola cathedralis quæ postea (MCCCLXXXVIII) in Universitatem, conversa fuit : ibi quidem, præcoce ingenio, et magna ad studendum virtute præditus, tam celeriter profecit, ut, in quindecimo ætatis suæ anno a magistris idoneus fuerit habitus ad Universitatem Parisiensem adeundam. Non tamen filium tam teneræ juventæ per tanta publicarum rerum discrimina, Lutetiam misissent parentes, nisi firmo et tenaci Gerardi animo confisi fuissent.

Nam, postquam Joannes II, rex Francogallorum, ab Anglis in captivitatem deductus fuerat, cuncta in regno confusa erant ac perturbata, urbs imprimis, caput regni, cruentis laborabat seditionibus, a Stephano Marcello et Carolo Navarrensi excitatis. Annos nempe MCCCLV et MCCCLV Lutetiæ exegit Gerardus Daventriensis, quibus turbulentissima habuere comitia Status Generales. Quæ quidem civilia bella circa regium palatium, dictum « Luparam » vel in insula cui nomen erat « Civitas » gerebantur, dum Universitas magistrorum et studentium in monte Stæ Genovefæ sita, Sequana flumine atque pratis hortisque abbatiarum Sti Germani et Sti Victoris, a loco certaminum seclusa erat. Præterea accedit, quod magistri, scholares et suppositi qui numero ferme viginti millia æquabant et eximiis privilegiis erant præditi, extra Parisiensem civitatem, quasi rempublicam efficiebant nullius potestati addictam, suis vero ipsius legibus et statutis vigentem [1]. Ex his conjicere licet studiosum nostrum adolescentem, non obstante rerum publicarum discrimine, his annis multum profecisse in collegio a Sorbone dicto. Ibi, præter alios, quorum no-

[1] Thurot : *Organisation de l'Enseignement dans l'Université de Paris*. Thèse, Paris, 1850, in-8°. P. 33 ; note 1.

mina non super fuere, magistrum habuit in philosophiæ studio Ioannem Buridanum, qui liberum arbitrium nota de asino fabula demonstravit; in theologia vero, a Nicolao Oresmio edoctus est, qui plurima Aristotelis, Plutarchi, Petrarchique opera verterat in gallicum sermonem [1]. Gerardo autem inerat mens excelsior, discendique avidior, quam ut aridis de Aristotele commentariis contentus esset; nempe, cupidus omnia perlustrandi, librorum erat curiosissimus, eos seuemebat, seu mutuabatur quos transcriberet [2]. Astronomiæ quoque studuit, tunc astrologiæ permixtæ et frequentibus Oresmii facetiis exagitatæ, ad quam discendam utebatur præsertim libris Albamanasaris [3]. Nec rudis erat medicinæ, quanquam vanis artibus adhuc corruptæ, imo hujus artis satis peritus factus est, ut seipsum curaret et deridendos propinaret præstigiatores [4]. At potissimum canonico juri incumbebat, valdeque exercebatur disputando cum sodalibus; inter quos Henricus Æger (a Calcaribus) et Guillelmus (a Salvavarilla) illi arctissima juncti amicitia permanserunt (MCCCLV-LVIII). Posterior quidem testatur, in epistola ad Urbanum VI papam missa, Gerardum « in scientiis liberalibus, naturalibus, moralibus » atque etiam in theologia eruditum fuisse [5] »; et, post

[1] Bulæus : *Historia Universitatis Parisiensis*, vol. IV. Appendix de « Viris illustribus ».

[2] V. Epistolam magistri Gerardi ad dominum *Joh. de Gronde* ; Codex Hagan., n° 154[1], fol. 175^v–180^r.

[3] V. Ep. magistri Gerardi ad. mag. Rodolphum de Enteren ; Cod. Hag. Fol. 216^r-221^r. Cf. Dumbar : *Analecta Reipublicæ Daventriensis*, vol. I, page 2.

[4] Epist. mag. Gerardi contra Johannem Heydem, qui se dicit medicum. Cod. Hagan., fol. 143^r-144^r.

[5] V. Epist. ad papam Urbanum VI. Codex Hag., fol. 139^r-140^r.

Quæ epistola integre primum, a doctore Acquoy edita est in accuratissima Epistolarum selectione cui nomen est : *Gerardi magni XIV Epistolæ*. — Amstelodami : MDCCCLVII, in-8°.

trecentos annos, fama adhuc referebatur « hunc scholasti- » cum æqualibus mirificum vitæ simul ac doctrinæ exem- » plum præbuisse [1] ». Quæ laudes magni sunt pretii, quæ nobis ostendunt eamdem Gerardo adolescenti jam inesse indolem, quæ postea maturiorem virum designaverit; scilicet studium liberalium artium simul ac morum honestorum cultum.

Lutetiæ ad magisterium ex artibus promotus est, decimo octavo ætatis suæ anno; deinde in Pragensi academia studia persecutus est, nuper ad instar Parisiensis a Carolo IV imperatore condita (MCCCXLIII) et quam permulti ex Nederlandia scholastici adire jam consueverant. Circa MCCCLXII annum, Daventriam reversus, civium suorum admirationem eloquentia, fiduciam vero justitia sibi conciliavit; ita ut, anno MCCCLXI, Avenionem missus fuerit a scabinis, ad tractanda negotia cum Urbano V papa [2]. Quod ei prospere successit; nam, paulo post, in canonicis officiis S^ti^ Martini Trajectensis et Nostræ Dominæ Aquisgranensis fuit constitutus, quorum copiosis præbendis fruebatur in Colonia Agrippina (MCCCLXIII) [3]. Qua in urbe permulti tunc versabantur *Dei Amici* (teutonice *Gottesfreunde*), qui a scholasticis disciplinis abhorrebant, adhærebantque doctrinis Nicolaï a Basilea et Joannis Tauleri [4]. Illorum vocibus oratorum, quæ tot millia animarum ex sopore fidei scholasticæ ad internam pietatem revocaverant, adhuc consonabant proceri pulcherrimæ basilicæ parietes. Gerardus ergo, dum indulgebat opulentæ canonicorum vitæ et ludis secularibus

[1] V. Bulæus : op. citat. — Vol. IV, p. 956.

[2] V. Libros civitatis Daventriensis, a Molhuysen refectos.

[3] Ex duabus illis præbendis, redibant illi plus quam ducentæ libræ auri, scilicet circiter centum Ludovici aurei nostri temporis.

[4] V. Tauleri Sermones. — Scripta Susonis. — Introductio Rusbrochii ad *Nuptias spirituales*.

intentus vagabatur, inscius alliciebatur ad doctrinas illas mysticæ fidei, quæ arcana divinæ humanæque naturæ retegunt. Mox autem omnino conversus est ad Christum tentatione quadam valetudinis. Cum enim Daventriæ mortifere ægrotaret, atque presbyter quidam ei viatici ademptionem minaretur, nisi magicam artem prorsus repudiaret, omnes suos de magia libros in forum quod vocatur *Brink* congeri jussit, ut coram populo comburerentur[1]. Denique ad de votam vitam omnino conversus est anno MCCCLXXIII, ab amico Henrico Calcariensi qui, tunc præpositus erat Carthusiensium monasterio dicto « Monnikhuisen » prope Arnemium. Qui quidem, gnarus Gerardum in Trajectu versari (Trajectus autem itinere unius diei distat ab Arnemio), huc illico perrexit, juniorique sodali, lætitia exsultanti, occurrit. Postquam omnibus amicitiæ blandimentis sese dederant, plurimos dies consumpserunt sermocinando de summo bono, de vita æterna, et de futuro judicio. « Mors imminet, aïebat Henricus ; » incerta dies mortis et hora. Deo autem creatori vitæ » totius rationem debemus. Qualem tu inanis hujus cano- » nicorum vitæ dabis ? At contra, quanta Christi secta- » toribus sunt dona promissa[2]. » Hæc monita Gerardo mysticas basilicæ Coloniensis voces, minas Daventriensis presbyteri, imprimis vero propriorum conscientiam peccatorum, vitæque profanis rebus addictæ vanitatem in mentem revocaverunt. Quibus colloquiis, cum adesset divina gratia, mollitus est tenax Gerardi animus : illum priscæ puduit voluptatis, inertisque vitæ ; et memor exempli Apostolorum consilium cepit nullum amplius beneficium vel lucrum in officio ecclesiastico desiderandi,

[1] Dumbar : *Analecta etc.*, vol. I, p. 2.

[2] Thomas a Kempis : *Vita Gerardi Magni*, cap. iv, § 1 et 2 ; in *Operibus omnibus*, a Badio Ascensio editis ; Parisiis, MDXLIX, folio.

ut spiritum a terrestribus curis liberaret. Eo tempore quatuor et triginta annis paulo minor erat Gerardus Magnus [1].

Nec mora nec requies illi fuere, donec illud propositum vitæ tenorem confirmavisset. Jam autumno anni MCCCLXXIV duas Aquisgranensem et Coloniensem præbendas renuntiavit et partem patrimonii legavit Carthusiensibus Arnemiensibus [2]; quin etiam! mox, Colonia Agrippina profectus, recessit Daventriam, in domum paternam. Qui nuper omnes Coloniæ canonicos formoso almucio et superpellicio subtilissimo supereminebat, eumdem videre sui populares ambulantem in foro Daventriensi, nudo capite et tonsis in coronam capillis, indutum cinerea veste et multifariam sarto pallio, cum cucullo nigro pube tenus pendenti [3].

Imo, charta a. d. XII. kal. octobris anni MCCCLXVIV data, propriam domum condonavit « ad usum pauperum virginum qui Deo vellent inservire » et altera, a. d. X. kal. augustas anni MCCCLXXIX data, priorem confirmavit statutisque explicavit [4].

Hæc prima fuere inchoamenta Sodalitii « Vitæ Communis »; istæ autem « Sorores » ut appellabantur a plebe, in domum Gerardi receptæ, etsi aliis sacris virginibus,

[1] V. *Conclusa et Proposita, non Vota, in nomine Domini a mag. Gerardo edita, ad finem vitæ mag. Gerardi*, in Thomæ a Kempis Operibus. — Ed. Badio Ascensio, Parisiis, MDXLIX, folio.

[2] *Epistola Salvavarillæ ad Urbanum VI*, papam. — Op. cit.

[3] Iste quidem habitus a *Fratribus Vitæ Communis* postea observatus fuit, ad Gerardi memoriam colendam. Cujus imaginem invenies in Lambinet : *Recherches historiques, littéraires et critiques sur l'Origine de l'Imprimerie.* Bruxelles, 1790. In-8°, p. 334.

[4] Dumbar : *Het Kerkerlijk en wereltlijke Deventer*. Arnhem, 1752, in-4°. Vol. I, p. 509-510. Cf. *Epistola Gerardi ad Joannem Cele*, in Cod. Hagano, fol. 252r.

dictis « Beguinis » simillimæ erant, ab illis tamen hac de manuum labore lege discrepabant, quæ magistro nostro optimum videbatur esse remedium adversus vitia monastica. Priore quidem charta, exiguum sibi recessum in paterna domo reservaverat, quo secretius viveret; at alimenta, quæ Sorores supradictæ ipsi de foro mercatorio afferebant, per volubilem rotam accipiebat et ipse coquebat, ita ut nullam mulierem nisi per clausam et obvelatam fenestram alloqueretur.

Extra domum comedere nunquam voluit Gerardus, sed quosdam pauperes aut honestos cives ad cænam convocare solebat, ut illis daret instructionem melioris vitæ legendis libris, in tabulatis cœnatorii dispositis. Tres annos Daventriæ latuit insignis ille magister, in hac domo quæ postea, celeberrima facta, *Meester Gerrit's huis*[1] vocata fuit, tempus consumens legendis Apostolorum vel Patrum ecclesiæ operibus, orando et scribendo ad amicos. (MCCCLXXIV-MCCCLXXVII).

Eo fere tempore scripsit opusculum cui nomen est : *De sacris libris studendis;* cujus præcepta cum sententiis primi libri de « Imitatione Christi » mire consonant[2].

Bipartita hæc vita, partim in secreto, partim in seculo, mysticis Gerardi desideriis non diu satisfacere poterat. Ex quo enim homini pio persuasum est, omnia in mundo esse periculosa, atque obstare mentis humanæ cum Deo conjunctioni, necesse est, serius ociusve, rumpat ultima cum hominum societate vincula. Jam in primis anni MCCCLXXVII mensibus perrexerat Gerardus ad monas-

[1] V. Eadem domo usi sunt postea Consules provinciæ ad argentum publice signandum ; hodie inest ei hospitium dictum *Groote en Vorster* in via Beguinarum.

[2] V. Thomæ a Kempis : *Opera Vita Gerardi magni, ad finem.* Cf. *De Imitatione J.-C.*, lib. I, cap. I et V.

terium Viridis Vallis, teutonice *Groenendal,* Rusbrochii visendi gratia, ad quem ardentissimo in Deo amore alliciebatur et qui, colloquiis frequentibus intimum ipsius desiderium vitæ secretæ auxerat [1].

At, paulo post Paschæ solennia ejusdem anni, a civitate sua et paterna domo omnino secessit. Accepta ab amico Henrico Calcarensi cella apud Carthusienses, in valle dicta Monnikhuisen prope Arnemium, recessit in hoc monasterium, ubi, etsi nullis votis nec regulis devinctus, asperrimis tamen pœnis corpus exercuit.

Postquam duos annos tam asperis exercitationibus fuerat probatus, existimavit prudens Carthusiani monasterii rector Gerardum quidem secretæ vitæ aptum esse, sed multo aptiorem ad peccatores Evangelii prædicatione ad melius mutandos [2]. Igitur, suadente Henrico a Calcaribus, Daventriam reversus est Gerardus, æstate anni MCCCLXXIX, ubi in ordinem diaconorum receptus est. Nunquam autem presbyter fieri voluit, præ nimia sua humilitate et maxima erga sacerdotium reverentia. « Nollim esse curatus ecclesiæ Suollensi una tantum nocte, dicere solebat, etiam si daretur pileus mihi aureis florenis plenus [3] ! » Cum vero cuncta diaconi jura exercere vellet, a Florentio Wevelinkhovio, qui ad Trajectensem episcopatum nuper evectus fuerat, impetravit licentiam prædicandi in tota Trajecti ad Rhenum diœcesi [4].

Magister Gerardus Magnus annos quadraginta natus

[1] V. Thomæ a Kempis. *Op. citat.* : « Intime commendari desidero, aït » Gerardus, præposito vestro, cujus scabellum pedum, tam in hoc vita quam » in futura fieri concupisco ; quia anima mea ipsi summo amore et summa » reverentia conglutinatur. »

[2] *Codex Haganus*, n° 409. Jacobi de Trajecto (alias Voecht) narratio de origine congregationis nostræ Zwollæ. Cap. I, passim.

[3] Thomas a Kempis : *Chronicon Montagnetanum.* Cap. III.

[4] Joannes Buschus : *Chronicon Windesemense.* Cap. I.

erat, quum prædicare coram populo incepit. Longe quidem aberat ab ardore illo juventæ et ingenii splendore, quibus hominum mentes vulgo rapiuntur. Ne speciem quidem illam divinæ majestatis præbebat, quam ex rubea cruce sumpserant inclyti illi fautores bellorum, ad Christi sepulcrum vindicandum inceptorum qui vocantur Petrus Eremita et S^tus Bernardus. Breve corpus, caput calvescens, incultæ vestes, omnia tandem in illo indigentia humiliaque videbantur. Virtus tamen interior apparebat ex venusta facie et sermone suavissimo ; illi nempe inerant pectus candidum, fervens animus, rectum judicium, fides incorrupta. Ceterum duobus præpollentibus utebatur argumentis ut populum commoveret excitaretque ad virtutem, scilicet, exemplo immutatæ suæ vitæ, quo præcepta confirmabat et lingua vernacula, qua extempore concionabatur [1].

Ingens igitur plebis multitudo ad prædicationem ejus concurrit : Amstelodami, ubi primam teutonicam concionem habuit ; dein Harlemi, Lugduni Batavorum, Campis et Daventriæ. Oratio communiter fiebat in templis, si vero arctiora essent, in cœmeteriis. Cum sæpe duos uno die sermones haberet, fertur « auditores residendo » præoccupasse opportuna circa ambonem [2] loca ; dum » ipse magister jejunans, orans in ecclesia, vel cœme- » terium meditando circumiens, alteram parabat oratio- » nem. » Si alicubi prædicare in animo erat, clericus ejus et testis Joannes Brinkerinkus (de Zutphania) schedulas affigebat valvis ecclesiæ, quibus dies et hora sermonis erant inscriptæ. Mirabile dictu! nunquam iter incepit sine pleno librorum cado [3], quibus detractores statim posset

[1] THOMAS A KEMPIS : In *opere Citato*, cap. I atque in *Vita Gerardi Magni*.

[2] Ambon erat suggestum quoddam, in anteriore chori parte exstructum, unde prædicabatur, ante quam cathedræ essent erectæ.

[3] G. DUMBAR : *Reipublicæ Daventriensis Analecta*, *Daventriæ*, MDCCXIX,

redarguere ; et sine tabellione cum duobus testibus, qui contradictiones vel interpellationes accurate perscriberent. Quæ quidem provisio non erat inutilis Gerardo ; quippe qui neque scholasticis argumentis, neque blanditiis erga optimates mentes audientium commoveret ; sed acerbis contra peccatores admonitionibus, atque descriptione redundantis in pœnitentes Dei spiritus. Non immerito igitur cum Joanne Baptista collatus fuit magister Gerardus, « ponente securim ad radicem arborum, ut » omnes arbores qui fructus non ferrent, districtum judi- » cium, iramque venturam, et ignem extremum time- » rent [1] ». Noster enim orator, etsi caute abstinens quin peccatori ulli suis verbis alluderet, varia tamen peccata adeo fidis et vividis coloribus depingebat, ut plurimi auditores suam ipsorum imaginem agnoscerent. Quibus ergo necesse fiebat alterutrum : seu vitam in melius mutare, seu indignari adversus sævissimum vitiorum objurgatorem [2].

Hactenus vitam Gerardi Magni descripsimus, et novam Evangelii prædicandi artem ab eo usitatam ; nunc autem considerandum, quæ fuerint præcipuæ Gerardi doctrinæ ex ejus *Publica protestatione* [3] et *Morali Adhortatione* [4]. Ante omnia solemne profitetur : « se circa ea quæ fidei sunt, » in ipso summo lapide Jesu Christo, firmam, illibatam et » catholicam fidem prædicasse atque, in via morum, certas » et indubitatas Evangelii et Apostolorum doctrinas et

vol. I. Usque ad XVII seculum, cadis ligneis usi sunt doctissimi viri ad libros pervehendos ; exemplo sit Hugo Grotius qui, conjuge curante, in librorum cado occultatus, ex carcere evasit.

[1] Thomas a Kempis : *Vita Gerardi*, cap. viii.

[2] Cf. Gerardi epistola, de Correptione auditorum, in Codice Hagano, n° 154, fol. 168-171.

[3] *Codex Haganus*, n° 154, fol. 113r-113v.

[4] *Codex Haganus*, n° 429 (ex Trajectu ad Mosam, fol. 202v-212v).

» vias, secundum Scripturas divinitus inspiratas docuisse ;
» libros autem sanctorum Doctorum Patrumque pro
» terrenis habuisse. »

Multo etiam insignior est *Moralis Adhortatio,* utpote quæ Gerardum doctorum scholasticorum argumentis omnino carentem, humaniori contra de Christo doctrinæ addictum ostendat : « Sacramentis, aïebat enim, nullam » inesse virtutem, nisi ea homines juvarent ad mores » emendandos incitandamque pietatem. » Hoc insuper accedit, dum plerique Medii Ævi clerici oratores, nullis aliis utebantur argumentis nisi Inferorum terrore atque desiderio Paradisi, id est infimos animi appetitus excitabant ; Gerardum, contra, primum animos peccatorum divulgato Dei amore et demonstrata immensa Illius erga pœnitentes gratia commovisse.

Viri autem præstantissimi non possunt quin indulgeant falsis quibusdam sui seculi opinionibus ; ipse Gerardus noster, etsi magnus eminet inter æquales popularesque, duorum tamen errorum fuit fautor atque particeps ; scilicet nimii controversiarum studii et pertinacis hæreticorum odii [1]. Quamvis in *Conclusis et Propositis* se ab omni publica disputatione, sicut sunt disputationes Artistarum [2] Parisiensium abhorrere dixisset, nihilominus vehementes sustinuit controversias adversus Mattheum, lollardum quemdam ; Gerbrandum a Campis et Bartholomæum a Dordraco, Fratres Liberi Spiritus [3], unde isto

[1] V. Petrus Hoorn : *Vita magistri Gerardi Magni.* Cf. *Codex Haganus*, n° 154[1] : *Epistola de Scismate mag. Gerardi Groot*, missa cantori Parisiensi (Guillelmo Savavarıllæ), fol. 221r-230r. Cf. J.-G.-R. Acquoy : *Gerardi magni Epistolæ* XIV, pag. 54. Excursus *de hæreticæ pravitatis inquisitione, Gerardi magni ætate ; et paulo post in patria nostra vigente.*

[2] Sic appellabantur magistri ex Artium facultate.

[3] Isti erant rudissimi Mystici, nihil interesse putantes Deum inter et Naturam, et omnem morum legem spernentes.

haud optando cognomento designatus fuit : *Malleus hæreticorum!*

Continuo addendum est, ne tales inquisitiones nimis odiosæ videantur, Gerardum nostrum non minus impavidum fuisse in vituperandis orthodoxorum vitiis, quam acerbum in persequendis hæreticis. Nempe fatetur schisma unitati ecclesiæ majori damno esse quam hæresim. His enim verbis, de summi pontificis imperio opinatur, in epistola quadam ad Salvavarillam, cantorem Parisiensem [1].

« Ruina ecclesiæ lata et undique patens est... ; diu dis-
» positum est corpus ecclesiæ ad lapsum, imo diutius lap-
» sum est [2] ! Sed jam caput vehementer dolemus ; dolor
» vehemens capitis solet, secundum medicos, et Galienum,
» præcipuo infirmitatis esse signatorium. — Sic dico, in
» corpore ecclesiæ, omnes vos, velut imperitos medicos,
» tantum symptomata commotionis animadvertere : sed
» causæ remotæ et principali modicam curam apponi-
» mus [3]. »

Mirabilia quidem verba, si reputaveris ea fere quadraginta annis ante Constantianum concilium scripta fuisse ; quibus magister Gerardus ineluctabilem fore ruinam ecclesiæ Romanæ vaticinabatur nisi ipsa in capite membrisque reformaretur ! Postquam autem originem et quasi radicem omnium ecclesiæ malorum in summi pontificatus corruptione denuntiaverat ; vitiosa quoque et dilapsa quæque in clero quum seculari tum regulari vehementer increpuit, scilicet : simoniam, locationem plurium officiorum in

[1] Cantor ecclesiæ a Nostra Domina dictæ, scholiserat præpositus.

[2] *Codex Haganus : Epistola ad Guilhelmum de Salvavarilla*, fol. 115.

[3] Ibidem : *Epist. ad eumdem*, fol. 165ʳ. — His verbis alluditur ad magnum Occidentalis ecclesiæ schisma, cum duo papæ simul starent : Urbanus VI et Clemens VII.

Conferatur *Epistola de Scismate*, missa cantori Parisiensi, ibidem, fol. 230ʳ.

uno capite, plerumque adolescentulo, denique universam ecclesiasticorum munerum auctionem, qua tunc curia Romana abutebatur. Nullos autem clericos tam acerbis aculeis persecutus est noster diaconus, quam monachos mendicantes, utpote qui abundantia divitiarum et sacrarum disciplinarum ignorantia plerique insignes essent.

Jam, ex Bartholomæi damnatione, acerrime Gerardo adversabantur plurimi Camporum Zwollæque optimates[1]; mox autem vehemens quidam « de Focaristis[2] » sermo ei capitales suscitavit inimicos, inter abbates istos et primates ecclesiæ, qui flagitiorum erant adjutores. Dum ille, campo aperto et æquis armis pugnabat, isti, contra Gerardum perfidis secretisque artibus subruere tentabant; denique Florentium ipsum circumvenerunt, devotum diligentemque episcopum qui diaconum adhuc tutatus erat; ab eoque dolosum impetraverunt decretum, quo omnis privatis clericis data prædicandi licentia adimeretur. Una simul supprimebatur vox Gerardi Magni.

Indignatus est populus, apud quem magister erat gratissimus, et ut ei dicendi libertatem vindicaret, ad nutum ejus insurrexisset; ipse vero Gerardus humiliter tacuit, recessitque in pagum Woudrichem (prope Zwollam) ne tumultus adversus clerum, sui gratia, fieret[3]. Amici ejus nihilominus undique conati sunt, ut illi prædicandi licentiam, saltem in provincia Coloniensi, impetrarent; Salvavarilla, archidiaconus Brabantiæ et Joannes archidia-

[1] *Codex Haganus : Epistola ad Guilhelmum Oude Scute, Ghysbertum Dou et Johannem de Gronde*, fol. 173r-175r. Cf. Ep. ad Wernerum (Keynkamp) clericum Trajectensem, et postea electum et confirmatum priorem B. Mariæ Virginis in Windesemio, juxta oppidum Zwollense, fol. 136v-173v.

[2] Sic appellabantur pellices quas dissoluti presbyteri, specie focariæ, domum subintroducebant.

[3] Thomas a Kempis : *Vita Gerardi*, cap. ix ad finem.

conus Campaniæ [1], Gerardi causam apud Urbanum VI papam egerunt, qui schismate ecclesiæ proprioque discrimine nimis occupatus erat. Quin etiam! ignotus quidem amicus virilem liberamque epistolam Trajectensi episcopo misit, qua causæ cognitionem vindicabat, et, si necesse esset, se causam ad prætorium summi ipsius Pontificis deducturum esse minabatur [2].

Ipse magister Gerardus *protestationem* suam publici juris fecit, qua testabatur. « Se catholicam, evangelicam, » apostolicamque fidem semper prædicavisse » ; et « salvo » tamen sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ judicio, cui se hu- » millime submittebat », fortiter ita perorabat : « Si (quod » absit !) quid falsi aut mendosi reperiretur in literis » principis populi et domini nostri Episcopi, respondeo » quod B. Bernardus ad litteras summi pontificis, cum » assensum malo præbuisset, respondit : videlicet ponti- » ficem nostrum, aut mendacio circumventum, aut victum » importunitate [3] ! »

Quæ omnia in vanum abiere! apud Florentium plus valuere flagitiorum participes, quam veritatis et justitiæ defensores; igitur silentio mulctatus fuit magister Gerardus ; at, post iniquissimam hanc pœnam, nondiu vivere poterat.

Ex habitu morientis agnoscitur proprius viri animus, veraque pietas : morte, tanquam obrussa, fides probatur ! Gerardus autem noster obiit, (a. d. XIII. kal. septembres

[1] *Codex Haganus : Ep. Salvavarillæ ad Urbanum papam*, fol. 139r-130r. *Ep. ad dominum Bernardum*, fol. 162r-164r.

[2] *Epistola ad episcopum Trajectensem*, pro mag. Gerardo Groot, quando erat ei interdictum ne publice prædicaret, in *Thomæ Malleoli* Operibus Omnibus. — Ed. Badius Ascensius, ad finem.

[3] *Codex Haganus :* Protestatio magistri Gerardi, dicti teutonice Groot, super epistolis, dictis, prædicationibus et sermocinationibus suis, fol. 113r-113r.

anni (MCCCLXXXIV), perinde ac vixerat : inter benefaciendum, Deo innisus, fidelisque amicis. Nempe, cum dives quidam ejus discipulus, nomine Lambertus Stuerman, pestilentia conflictatus, illum arcessivisset, ut legatum quoddam futuro Windesemensi monasterio scriberet, nullomodo cunctatus est Gerardus Daventriam redire in urbem morbo flagrantem, amicumque diligentissima cura fovere, quippe qui medicæ artis non expers esset. Res vero inopinatum habuit successum ; Lambertus quidem paulo postea sanatus est; Gerardus vero, cum limine amici exiret, se mortifero contactum morbo sensit, domumque reversus, omnibus sodalibus ad se vocatis, ultima hæc fecit verba ; « En vocor a Domino, et tempus instat meæ dissolutionis ! » Augustinus et Bernardus pulsant ad ostium[1] ; non possum præterire terminum a Deo constitutum. Deus tueatur » exitium meum ! pergat spiritus ad Deum qui fecit illum ; » tegat terra corpusculum de terra sumptum, non diu ibi » mansurum. Det mihi Dominus post mortem invenire » requiem, pro cujus amore laboravi, scripsi, prædicavi ! » Cum ejus discipuli ingemiscerent, addidit : « Habete fiduciam in Domino, carissimi ! ne timeatis seculares hos » garrientes ! State firmiter in sancto proposito : Deus erit » vobiscum in loco isto. Non enim poterit homo infringere, » quæ Deus decrevit operari. Ut primum ad Deum venero » spero fore ut vobis flores de cœlo projiciam, ut gratiam » sentiatis, fructusque in mundo faciatis[2] ! »

Pulcherrima quidem verba pii vere viri, justitiæque conscii, qui præsentis injurias temporis despicit, utpote qui

[1] Festum S^ti^ Bernardi celebrabatur XIII die Kal. Septembres et Festum S^ti^ Augustini V Kal. Septembres.

[2] Thomas A. Kempis : *Vita Gerardi magni*, cap. xvi. Cf. J. Buschius : *Chronicon Windesemense*, cap. v. Cf. Guilhelmus Salvavarilla : *De morte magistri Gerardi Magni*, *Codex Haganus*, fol. 140r-140v. Cf. *Epita-*

futuram veritatis victoriam clare intueatur! Ita obiit, quadragesimo et quarto ætatis suæ anno, magister ille Gerardus, merito Magnus ab æqualibus dictus, cujus moralem simul ac liberum spiritum redolent pleraque Mysticorum Neerlandiæ inferioris opera; nam, conscientia incorrupta innisus, atque apostolica disciplina, vitia ecclesiæ pro virili parte conatus erat evellere!

phium vetus et inconditum vener. mag. Gerardi Magni; in THOMÆ MALLEOLI *Operibus Omnib.*, post Gerardi vitam quod his incipit versibus :

« Gerardus Magnus vixit sicut pius agnus.
» Fecit quod dixit, sicut docuit quoque vixit.
» Sicut non fictus, aliis mitis, sibi strictus.
» Lux fuerat cleri, tradens huic lumina Veri! »

CAPUT III

DE REFORMATIONE MORUM APUD CLERICOS ET ORIGINE SODALITII, CUI NOMEN IMPOSITUM FUIT : « FRATRES VITÆ COMMUNIS ».

In mediis certaminibus Scholasticos inter philosophos institutis senescebat quarto decimo seculo pietas, formulis credendi (quas non intelligebant ii ipsi qui illis utebantur), et multimodis ritibus externis oppressa. Quin imo ! sacramentis ecclesiæ adscribebatur virtus interna (ut dicebatur ex « opere operato »), quum neque fides ab accipiente, neque honestas a ministrante exigeretur. Inde undique torpescebat laïcorum pietas erga Deum atque clericorum mores ad imum corruptionis gradum prolapsi erant[1]. Quod autem adversus dissolutam plerorumque presbyterorum vitam est indignatus, et languescentem civium suorum fervorem accendit, hoc magistro Gerardo æterno erit decori ! Quapropter his verbis à Joanne Buschio, præstantissimo Augustinorum restitutore, in XV seculo, jure laudatur : « Magister Gerardus fuit primus

[1] Patris JACOBI DE TRAJECTO (alias Voecht) *narratio de Origine et Progressu Congregationis Religiosæ*, præside Florentio, *Codex Haganus*, n° 429 in ZWOLLA ET MONTE S^tæ Agnetis, prope Zwollam. Cap. I, fol, 1^r.

» hujus nostræ Reformationis pater; et totius modernæ » devotionis origo [1] ! ». — « At « requiretur » quare mo- » derna vocabatur devotio ab illo instituta? Numquid » istam inter et veterem intererat? Num fuit diaconus nos- » ter antiquæ perturbator ecclesiæ, introductis novis doc- » trinis, vel consuetudinibus? » — Nullomodo, nihil enim ab ejus mente longius aberat; et cuique *Publicam* ejus *protestationem* diligenter legenti persuasum erit, Gerardum se summi pontificis imperio reverentissime submisisse, atque nihil sive in doctrinis, sive in ritibus ecclesiæ romanæ mutare voluisse [2]. Propositum illi multo modestius, nec minoris momenti erat, scilicet clericorum mores ad apostolicam simplicitatem revocare simul atque apud laïcos inertem Scholasticorum soporem excutere stimulo pietatis interioris et veterum studio litterarum.

Eodem tendebat unus e Gerardi æqualibus, *Wermboldus Boscopius*, qui, in prædicando Evangelio vernacula Batavorum lingua illi æmulatus est [3]. Tenorem hujus modernæ devotionis servaverunt primi Gerardi discipuli : Florentius Radewinius et Gerardus Zerboltus, Joannes Celius et Didericus Herxenius [4]; atque sequenti seculo, Joannes Brugmannus [5], non quidem omnes socii sed amicissimi Fratrum sodalitio, qui tantum ad refovendum priorem christianorum fervorem, scriptis concionibusque contulere, et plerosque in Germania inferiore animos ad accipiendam majorem sexti decimi seculi Reformationem adduxere [6].

[1] Iohannes Buschius : *Chronicon Windesemense*, pag. 2, 19, 316, 326, etc.

[2] *Codex Haganus*, n° 154¹, fol. 113ʳ, *Protestatio mag. Gerardi dicti Groet*, initio.

[3] Obiit Wermboldus anno MCCCCXIII.

[4] Jacobi de Trajecto narratio. *Codex Haganus*, n° 429, fol. 2, 20.

[5] W Moll, *Johannes Brugman*, Amsterdam, 1854, 2 vol. in-8°.

[6] Ullmann, *Reformatoren vor der Reformation*, vol. II.

Ille autem novus pietatis fervor Gerardi concionibus nederlandico sermone habitis, accensus est ; hoc nempe inter omnes ejus vitæ scriptores constat « plurimos ex po- » pulo simul ac clero, utriusque sexus, verbo ejus commo- » tos fuisse ad agendam pœnitentiam et mundi contemp- » tionem, odium peccati, atque patriæ cælestis amorem colendas [1]. » Magistri morientis supremo jussu, regimen Fratrum Vitæ Communis obtinuit Florentius Radewinius, quippe qui ad hoc munus aptissimus ab illo haberetur. De hoc refertur « multos cives Daventrienses, atque etiam extra » Daventriam habitantes, frequenter accessisse ad domi- » num Florentium et ad fratres ejus quærentes ab ipsis » consilia, quomodo possent salvare animas suas, confi- » tentes eis peccata sua et querentes de licentia curatorum » ecclesiarum. » Solebant (persequitur narrator), festivis diebus, convenire ad domum « supradicti rectoris, ad au- » diendam sacram lectionem, quæ legebatur, et legitur » usque hodie *in teutonico* ; atque etiam ad audiendum » ferventes admonitiones, quæ fiebant a fratribus [2]. »

De his admonitionibus agetur infra, quæ apud populum erant gratissimæ appellabanturque « collationes ». Nunc satis erit animadvertere, quantum a prædicatione mendicantium monachorum, syllogismis abstrusis, latinisque locis refertis, discreparent ; consistebant enim ex enarrationibus simplicibus supra « Bibliæ loca vel Patrum sententias. » Quibus commoti viri illi « bonæ voluntatis », modum vivendi omnino mutabant servandis Domini præceptis, et etiam vilibus vestibus induendis.

Conclusa collatione, domumque reversi solebant devoti

[1] I. Buschius, *Chronicon Windesemense*, cap. I.

[2] *Rud. Dier de Muden* « de magistro Gherardo Grote, domino Florencio et multis aliis Devotis Fratribus » in Gherardi Dumbari, *Analectis Reipublicæ Daventriensis*, tome I, p. 22.

illi laïci de prædicatione habita vel de quibusdam divinis quæstionibus familiariter sermocinari. Paucis post annis, patrio sermone usi sunt non tantum ad conciones proferendas, sed etiam ad preces fundendas sacraque canenda carmina. Supersunt quidem e Gerardi Zerbolti (a Zutphania), operibus qui inter juniores Gerardi discipulos erat, duæ hujus generis conciones : prior quidem *de legenda Scriptura in vernaculam linguam translata;* altera vero *de Precibus eadem lingua fundendis*[1] ; duo quoque pia carmina, a Joanne Brugmanno composita, memoria Batavorum devotorum, adhuc servata fuere, interdumque typis mandata sunt[2].

Ex omnibus Gerardi scriptis, imprimis autem ex epistolis, sicut ex his discipulorum ejus concionibus, manifesta apparent signa, quibus « moderna devotio » agnosci potest. Ante omnia secularis erat et ad laïcos reservata : vernacula enim lingua utebantur Fratres « collationarii » utpote quæ, ex pectore sponte edita, pectoris intima melius adiret. Cum, alioquin, pii illi laïci neque votis, neque regula, neque ulla recessus necessitate devincti essent, patebat facultas ubique vivendi ad Christi exemplar salutisque animæ conquirendæ, non deserta hominum conversatione[3]. Singularis quidem et, pro Medii Ævi opinione, miranda doctrina, quæ in scriptis Gerardi tantum, quasi in germine, latet, sed mox apud ejus discipulos omnes fructus effundet.

Nec contentus fuit Gerardus priscas Apostolorum vir-

[1] IACOBUS REVIUS, *Daventria Illustrata*, Lugduni Batavorum MDCLI, pag. 41-60.

[2] HOFFMANN VON FALLERSLEBEN, *Gesellschaftsliederen des XVIten und XVIIten Jahrhunderts*, vol. I, p. 36-39.

[3] *Epist. Gerardi ad Joannem Cele*, *Codex Hagan.*, n° 154[1], fol. 259 recto et verso.

tutes medio in seculo ostendisse ; liberales etiam artes cum fide christiana sociavit, olim res immerito dissociabiles habitas ! Nempe, colligendis et omnibus liberaliter commodandis veris exemplaribus Scripturæ canonicæ, Patrum ecclesiæ, vel etiam profanorum scriptorum, sicut Plutarchi, Senecæ [1], Tullii atque Maronis ; ipse « litteratam hanc pietatem » instituit, qua Fratres Vitæ Communis late claruerunt.

Pietas optimi hujus viri non solum ardenti litterarum amore, sed etiam hoc gaudio fervebat, quo spiritu sancto instincti viri inclarescunt : « Regnum Dei (sic loquitur » ipse in notabili illa de Moribus cohortatione [2]) constat » ex justicia, pace et gaudio cum sancto spiritu ; omnes » autem devotionis ritus eo usque tantum valent, quoad » hanc interioris vitæ substantiam parare possint ». At nusquam, ferventiore amicitia, simul ac pietate prudentiore, effusus est Gerardus, quam in epistolis ad Joannem Celium, rectorem scholæ Zwollensis :

« Frater et amice carissime ! sitis læti in Domino, servite » Domino in lætitia, gaudete, et, iterum dico, gaudete ! » Revolvite sæpe verbum istud : Deus corripit quos di- » ligit, et flagellat quos recipit. Et habete certissimum, » quod illa cogitatio vestra de intrando in Ordinem Mino- » rum, qui jam in partibus istis nullo modo sunt reformati, » susurrus est Diaboli !... Atque his concludit verbis : » Quapropter, mî dilecte, semper sis lætus, et hilaris, qui » remotissimus es ab omni voto, et longius quoque ab » habitu. In me et in animam meam capio omnia vota » vestra ! [3] ».

[1] I. Buschius, *Chronicon Windesemense*, cap. II.

[2] *Zedelijke Toespraak, Codex Haganus*, n° 429, fol. 202^{v}-212^{v}.

[3] *Epistola ad Joannem de Cele, Cod. Haganus*, n° 154^{I}, fol. 259^{v}-259^{v}. Cf. sex alias Epostolas, in eodem codice, fol. 250^{r}-260^{r}.

Pietatem demum suam, spiritu potius vigentem quam ritibus adstrictam, explicat diaconus noster in Epistola quadam ad ignotum, cujus fragmentum superest : « Quid » Pilato et Herodi profuit vidisse Christum ? Nec maxime » profuisset Christum portavisse, et vidisse, et osculasse ; » nisi eum spiritualiter concepisset et intellexisset. Imo, » nisi et præsentia corporalis Christi ab Apostolis ablata fuisset, Spiritus sanctus non venisset [1] ». Denique, ad altissima christianæ philosophiæ culmina fertur, cum pulcherrima hæc monita scribit ad Bertholdum Havium, nuper ad Deum conversum :

« Cave ne Deum derelinquas ! Si Ipsum reliqueris, qui » omne bonum est Ipse, quid restabit tibi, nisi omne » malum ? Si Ipsum reliqueris, qui omne pulchrum, omne » dives, omne nobile, omne verum, omne suave, omne » desiderabile et delectabile Ipse est et in eo est, quid » restabit tibi nisi totum deforme, turpe, ignobile, falsum, » amarum, frangibile et penale ? Si Ipsum reliqueris, non » potest Creator relinquere creaturam. Necesse enim est, » ut serviat creatura Domino suo, aut punienti, aut præmi- » enti, aut invita per pœnas æternas, aut voluntaria in » gaudiis celestibus [2] ».

Pietas illa, literis innutrita et ad liberaliorem fidei rationem tendens, quam Gerardus Magnus apud devotos sui ævi laïcos recreavit, patet quam apertissime ex duabus ab eodem institutis societatibus, scilicet in sodalitio Fratrum a Vita Communi dictorum, atque ex congregatione Cano-

[1] Epistolæ fragmentum, inscriptione carens, *in Codice Hannoverano*, n° XIII, 859, fol. 111r. Quem quidem fasciculum, ex septem Gerardi epistolis consistentem, jampridem a Dre Pertzio designatum, sed ex triginta annis frustra perquisitum, feliciter anno MDCCCLXXVII reperivimus exscripsimusque, adjuvante Dro Bodemann, diligentissimo Bibliothecæ regiæ Hannoveranæ curatore.

[2] *Epistola ad Bertholdum, Codex Hannov.*, fol. 118v-119v.

nicorum regularium a « Windesemio » appellatorum. De priore solum, in hoc libello agetur.

Inquiramus nunc quomodo vita communis apud Gerardi Magni discipulos exorta sit. Ut ejus origo penitus intelligatur, meminisse oportet, quam curiosus, quin etiam! prodigus esset in libris emendis colligendisque Gerardus noster, cetera tam parcus et modestus; at saltem, dum plerique librorum amatores formæ potius et operculis, quam materiæ scripturæque student, ille contra emendatos codices in membranis vilibus maluit quam pulchros et incorrectos [1]. Si forte manuscripta quædam emere nequiret, ea mutuabatur vel cum propriis permutabat, exscribique curabat a pauperibus clericis qui ad scholam capitularem Daventriæ undique confluebant. His autem scholasticis accesserant nonnulli laïci ferventes bona voluntate, atque presbyteri liberalium disciplinarum, vitæque interioris amantes. Inter quos præcellebat Florentius Radewinius, magister ex artibus de Pragensi Universitate, Gerardi prædicatione ad Deum conversus, qui, a canonico S[ti] Martini Trajectensis, vicarius in S[ti] Lebwini ecclesia Daventriensi, factus erat, quo devotius in societate prædilecti sui magistri viveret, et scholæ capituli præfectus. Vir quidem, tam terrestrium quam spiritualium dives bonorum; sibi perseverus et immitis, aliis vero affabilis et consilio prudens [2].

Ille Florentius, quadam die anni MCCCLXXXI, magistrum Gerardum his adiit verbis : « Prædilecte magister !
» quid noceret quod ego et clerici isti, scriptores bonæ
» voluntatis, ea quæ septimana habemus expendenda,

[1] Thomas Malleolus, *Vita Gerardi*, cap. XIII.

[2] Thomas Malleolus, *Vita magistri Florentii*; post *Gerardi Vitam*, Opera Omnia.

» in unum reponentes, in communi pariter viveremus[1]? »

Cui Gerardus respondit : « Communia ! Communia ! Isti » de ordine Mendicantium hæc nullatenus sustinebunt, sed » totis viribus resistere tentabunt. » — « Quid autem no- » ceret, aït Florentius, si tamen inciperemus? forsitam » Deus nobis donaret, quod bene proficeremus ! » — Tunc Gerardus, postquam parumper intra se deliberavisset : « In nomine Dei, incipiatis ! inquit ; ego ero defensor » voster et fidelis protector adversus omnes qui contra vos » insurgent[2] ! »

Assensu magistri impetrato, non cessavit Florentius donec ædes invenisset ad sodalitium recipiendum quod instituere in animo habebat, et ad instar Gerardi, propriam domum, sitam juxta S^ti^ Lebwini ecclesiam, « scriptoribus bonæ voluntatis[3] » condonavit ; cui mox alteram minorem junxit, cum annuo quadraginta florenorum reditu, quo sustentarentur egentissimi. Quum autem, crescente sodalium numero, non pares essent ædes, plurimi Daventrienses cives pauperes illos clericos, singuli octo vel decem pro parte sua, tecto mensaque receperunt, imo vestitu instruxere.

Etsi idem Gerardo propositum erat quod omnibus sacrorum collegiorum institutoribus, scilicet : clericorum mores ad apostolicum vivendi genus revocare, cavebat tamen a solitis monasticorum Ordinum statutis quia sanctissimam votorum religionem et strictissima regulæ

[1] Inde Daventrienses scriptores nomen « Fratres Vitæ Communis sive bonæ voluntatis », deduxere. Interdum etiam appellati fuere « Clerici Seculares D. Hieronymi » vel Gregoriani » secundum Sancti nomen, sub cujus invocatione domus quæque extructa fuerat.

[2] I. Buschius, *Chronicon Windesemense*, cap. II.

[3] Hoc enim fuit primum Fratrum nomen, quia nec votis nec regulæ, ut Monachi, sed bonæ tantum voluntati parebant.

præcepta a plerisque monachis aperte rumpi viderat[1].

Prima igitur novi sodalitii regula fuit nullam certam regulam profiteri, nullaque solemnia vota nuncupasse, unde hoc nomen sæpe retulerunt Fratres Daventrienses : « clericos extra religionem viventes ». Nihilominus in regula Christi vivebant Fratres, ad instar primorum christianorum, id est in obtemperatione legibus Evangelii, abstinentia propriorum bonorum, continentia, humilitate et, ante omnia, caritate[2]. Accurate distribuebantur horæ, quibus vigilandum aut dormiendum, scribendum vel orandum, quibus laborare vel recreare corpus debebant ; et, singulis annis conveniebant presbyteri, clerici laïcique, delecti ex omnibus Germaniæ inferioris congregationibus, ad eligendum rectorem totius sodalitii[3].

Aliam ex apostolicis moribus sumpsit Gerardus consuetudinem, scilicet : « mutuam confessionem » ; cujus initium ipse fecerat olim, cum in hospitio dicto *Completorio* receptus, suos comites Florentium et Joannem (a Zutphania) sic allocutus esset : « Dicamus modo singuli suffragia nostra ! » Ergo, omnibus ejusdem domi Fratribus ante noctem congregatis, quotidie unus alteri culpas designabat, si forte quid mendosum in illo notavisset, posteaque, peccata humiliter confessi, se ad quietem in pace recipiebant[4]. Mirandum humilitatis caritatisque Gerardi Magni exemplar ! restaurando enim hoc confessionis apostolico ritu, molestiis romanæ confessionis remedium afferebat[5].

[1] GERARDI *Sermo « de Paupertate »*, passim.

[2] J. BUSCHIUS, *Chronicon Windesemense*, cap. II, p. 6-8 et cap. V, p. 18-20.

[3] ALB. MIRÆUS, *Regulæ et Constitutiones clericorum in congregatione viventium*, Antwerpiæ MDCXXXVIII, cap. III, pag. 144.

[4] THOMAS MALLEOLUS, *Vita Gerardi*, cap. XII, de Comitibus et colloquiis.

[5] Fratres inter se quidem latine fabulabantur ; coram populo verum

Nulla autem præstantiora remedia illi videbantur contra inertiam bonorumque proprietatem, quibus vitiis pleraque affligebantur sodalitia, quam labor manuum atque vita in communi et paupertate degenda. Nec duplicem hanc reformationis legem unquam disjunxit magister Daventriensis, utpote qui hanc esse viam ad perfectum vivendi genus, in prisca ecclesia ab apostolis institutum, haberet. Quanta vi Mendicantium Beguinarumque pigritiam increpaverat, tanta abstinentiam a propriis bonis, consortiumque fructuum labore cujusque partorum, suadebat. Si quis rem mancipii servavisset, gravissimis mulctabatur pœnis; adeo ut, cum olim in cella defuncti cujusdam Fratris aliquot nummi reperti essent, iste sine precibus, imo sine ullis funerum justis, sepultus fuerit, secundum hoc S^ti^ Bernardi de monachis dictum. « Qui unum assem detinet, — is unius assis valet! »

Eodem tenore, artificia varia tuebantur Fratres Vitæ Communis, constatque ex chronicis, quæ de Windesemensibus et Montis S^tæ^ Agnetis monasteriis narrant, repertos fuisse in sodalitio cæmentarios, tignarios, agricolas, pistores, quin etiam! braxatores [1]. Præsertim tamen versabantur in exscribendis compaginandisque libris Sacræ scripturæ, veterum scriptorum atque Patrum ecclesiæ; illorum opera, numerus talis scholis necessarii supellectilis adeo increvit, ut pretium magnopere sit imminutum.

At, ne continua hac opera (scribebant enim Fratres septem ad octo horas in die) mens scribentium torpesceret, præceperat sapiens ille sodalitii institutor, ut unusquisque sibi excellentissima quæque ex Patrum sententiis, vel ex

semper nederlandice. Si quis, intra sodalitii domum, in teutonicum verbum laberetur, pecunia mulctabatur.

[1] Buschius, *Chronicon Windesemense*, passim.

propriis cogitationibus libaret certoque inscriberet libello. Quod quidem præceptum suo exemplo confirmaverat; ut ex sequentibus diligentis ejus vitæ scriptoris verbis constat : « Mag. Gerardus nonnulla opuscula ex authenticis » sanctorum dictis fideliter conscripserat et ediderat[1]. » De his excerptis quæ apud Hieronymitas « rapiara », vocabantur, alia quoque infra dicentur.

Denique, ne ullum excellentissimi hujus sodalitii meritum omittam, describendum est peculiare quoddam, de quo jam supra aliquid fuit dictum; scilicet *collationes*[2]. Sacræ illæ conciones, quaque dominica die singulisque festis diebus sermone nederlandico habebantur, post meridiem, plerumque in Fratrum ludis; interdum etiam in cæmeteriis, ubi ipse Gerardus sæpe concionatus erat. Quæ, versantes in quodam Evangeliorum loco, seu de quadam Patrum sententia, non compositæ erant ad artem oratoris ostentandam vel acumen ingenii exercendum, quæ vitia inerant plerisque Monachorum concionibus; sed contra Fratres « collationarii » conabantur pectus audientium commovere pietatisque fervorem apud laïcos refovere, quod usu linguæ vernaculæ familiarique sermone feliciter consecuti sunt. Fratres autem qui concionibus maxime eminuerunt fuere Joannes Brinkerinus, Gerardus Zerboltus, Joannes Buschius.

Conclusa autem prædicatione, Fratres auditoribus largiebantur fragmenta quædam ex Scriptura vel Sanctorum operibus excerpta; unde consuetudo divulgandorum piorum libellorum per omnes a Reformatione XVI sæculi dictas ecclesias fortasse manavit.

[1] Thomas a Kempis, *Chronicon Montagnetanum.*

[2] Collatio nomen ducebat ex prandio quodam monachorum, inter quod sermocinari licebat; postea vero, unus tantum cænantes alloquebatur, unde hoc vocabulum ad familiarem orationem translatum fuit.

CAPUT IV

DE COLLEGIIS ET SCHOLIS QUIBUS OPERAM DEDERUNT FRATRES VITÆ COMMUNIS. — NEXUS CUM SCHOLIS TUNC EXISTENTIBUS. — QUOD PROPOSITUM HABUERINT FRATRES IN LUDIS APERIENDIS. — III ÆTATES SODALITII. — DESCRIPTIO COLLEGIORUM IN NEDERLANDIA.

Hieronymitæ, proposito magistri Gerardi Magni adhærentes, scilicet « Reformationi clericorum per meliorem paupertatis usum et cognitionem Scripturarum » mox eo venerunt ut scholis operam darent. Supra enim dictum est [1], quam diversa esset sors scholarum in Nederlandia, desinente XIV° sæculo. Ludi capitulorum vel cathedralium scholasticorum doctorum nugis et abstrusis disputationibus omnino dediti erant ; scholæ autem a municipiis institutæ et a magistris conductæ, studentibus magno sumptui erant et bonam morum disciplinam omiserant. In his utriusque generis ludis miseranda erat sors pauperum clericorum. Cujus rei exemplum habes in scholaribus Collegii Montis-Acuti Lutetiæ. Istos enim refertur fores monasterii Carthusiensium quotidie pulsavisse, ad panem mendicandum ; et postea etiam tam exiguum cibum [2] acci-

[1] V. caput I, pag. 10 à 12.

[2] Erasmi Colloquia familiaria. Lugduni, MDXXXVI : Ἰχθυοφαγία

piebant, ut vulgo diceretur : « Mons-acutus, dentes acuti » Zwollæ autem et Daventriæ non meliore fortuna fruebantur scholares. Ditiores soli victum et minervalia a parentibus accipiebant ; pauperibus vero, quorum non parvus erat numerus, diaria erant conquirenda, vel ostiatim mendicando, vel incolis civitatis præstando permodica ministeria [1]. Frequenter quoque occurrebant, in ludis capitularibus, imo in Studiis generalibus, pueri qui legendi scribendique admodum rudes erant, eaque ignorantia impediebantur quin superiores discerent artes.

Talium studentium misertus est Gerardus noster ; quos dupliciter adjuvit, recipiendo pauperiores in hospitium et præbendo eis laborem fecundum, unde meliorem sibi quæstum pararent. Labor autem erat conscriptio Scripturarum sacrarum vel Patrum operum, quia illo tempore magno pretio venibant manuscripta. Ad hanc operam auxilium adeptus est duorum virorum, qui scholastico officio jamdudum fungebantur : Florentii Radewinii (vel Rodigini) et Joannis Celii. Prior quidem regebat capitularem ludum Daventriæ et primum pauperibus clericis hospitium præbuit in domo sua, alter autem Zwollensi scholæ, ab anno MCCCLXXVII præerat, et devotæ vitæ instaurationi, a Gerardo inceptæ, penitus erat addictus, etsi sodalitio Fratrum nunquam forte adjunctus fuerit.

Hoc modo opus scholasticum inchoavere Fratres Vitæ Communis. Paulo post, approbato a summo pontifice Gregorio XI (MCCCLXXVI) sodalitio Fratrum, novæ domus exstiterunt tam in Nederlandia quam in Germania superiore, nempe : Amersfordii, Delphi, Trajecti, Groningæ, Silvæducis, Bruxellis, Leodii, Embrici, Wesali, Coloniæ Agrippinæ ; quibus addendæ sunt Sororum domus Daven-

[1] J. Buschius, *Chronicon Windesemense.*

triæ, Zutphaniæ, Embrici, Zwollæ, Bethaniæ (prope Arnemium), ita ut decurrente XV° sæculo Hieronymitæ celeberrima collegia, a Cameraco, in Flandria, ad Culmum, in Borussia, et a Scaldi flumine ad Vistulam tenuerint. In sola Nederlandia duodeviginti, vel viginti ludos habuerunt, de quibus solis infra dicetur.

Hic vero nobis occurrit a docto K. Hirschio, sodalitium a Vita Communi dictum, neque in principio, neque postea fuisse institutum ad educandos pueros, vel magistros, omnia quæ de eorum discipulis scripta fuerint a Raumero, Kæmmelio etc, pendere ab errore cujusdam Hamelmanni, in libro « de Viris illustribus Westphaliæ. » Videamus ergo locum hujus scriptoris, cui Hirschius infitiatur :

« Cum Thomas a Kempis, sic loquitur, post suum præ-
» ceptorem Florentium (igitur circa Aum MCCCC), curam
» scholæ Daventriensis suscepisset, ecce in ea erant
» R. Agricola, Dringenbergius, A. Hegius et similes. Illos
» præceptor hortatur, ut se in Italiam reciperent, ubi audi-
» verat studia reflorescere ! [1] »

Certe locus abundat erroribus, quod haud difficile planum fecit adversarius noster. Ab uno, nempe, disce omnes. Thomas quidem alitus est in domo Fratrum Daventriensi, curante Florentio (MCCCXCXII — XCXVIII); sed nunquam illi succedere potuit, in schola tam illustri et frequentata regenda, quippe qui viginti tantum annos natus erat, tempore quo Florentius obiit (MCCCC); cæterum constat illum Zwollæ, non Daventriæ docuisse. Concedimus ergo falsum esse in hoc loco Hamelmannum; sed, deficiente teste illo, manent dicta Erasmi, Badii Ascensii,

[1] Hamelmannus, *Opera genealogico-historica. Lemgo*, 1711. Agricola natus est A° MCCCCXLIII ; Hegius, MCCCCXXXIII ; Dringenberg, circa MCCCCXX.

Buschii, Melanchthonis, Murmellii, A. Miræi, Petri Ribadeneiræ [1] etc., qui testantur una voce Hieronymitas scholares edocuisse. Quin etiam manet nomen illud « Fratres Scholares » quod a grata civium voce acceperunt.

Audi, primo, Erasmum scribentem ad Lambertum Grunnium, de suo et fratris tutore : « Curavit illos ablegandos » in contubernium quorumdam, qui vulgo Fratres Collationarii vocantur, qui nusquam gentium non nidulantes, » *instituendis pueris* quæstitum factitant. Horum illud » præcipuum est studium ut, si quem puerum videant » indole generosiore aut alacriore, eum plagis, minis et » objurgationibus frangant ac dejiciant, id appellant *cicurare* vitæque monasticæ fingant [2]. »

Addenda sunt testimonia Melanchthonis et J. Badii Ascensii. Prior quidem, in Oratione de Erasmo Roterodamo scribit : « Sunt in Batavis et in Belgico sodalicia in monasteriis et plura et magis dedita literis quam in Germania, *quæ Scholasticis libenter opitulantur*. Orbatum » igitur parentibus Erasmum sodales illi in monasterio Daventriensi ad sese invitant et orphano spem faciunt, se » missuros esse eum Lutetiam, quod et aliquanto post » factum est... Narrat ipse in quadam Epistola assiduitatem » fuisse tantam discentium, ut in prandiis et cœnis etiam » *soliti sint adhiberi lectores Latinorum scriptorum*, in » quibus cum locus obscurus occurrit, interpretationem et » poposcit ab aliis et, cum opus fuit, ipse adjecit [3]. »

Badius Ascencius autem, in fronte operum Thomæ a

[1] P. Ribadaneira, *Vita S^tii Ignatii*, Lib. III, cap. 24 : « In Belgio, usque adhuc nonnullos sacrorum hominum conventus videmus, in quibus viget scholarium puerilium disciplina. Fratrum porro exemplo, Societas Jesu per orbem universum scholas aperit. »

[2] Erasmi Opera. Ed. J. Clericus. Lugduni Batavorum MDCCIII. Tomus III, pars 2 col. 1822.

[3] *Opera* Melanchthonis, XII, 267.

Kempis, ab ipso editorum, refert : « Sperans rem gratam » me facturum non tibi tantum, *sed pueritiæ meæ institu- » toribus* domus Divi Hieronymi apud Gandavum, Fra- » tribus qui ex Dni Florentii sodalitio et schola, fraternam » inter se caritatem mutuamque observantiam, peculiari » adhuc nomine *Fratres* nuncupantur. »

Ex his et multis aliis congruentibus testibus inferre licet : Hieronymitas, etsi principio non proprias aperuerint scholas, tamen operam contulisse ludis jam existentibus, sicut Daventriæ, Zwollæ, Trajecti ad Rhenum, Gandavi et Groningæ. In quibus urbibus condiderunt collegia, sive hospitia, ubi pauperes clerici victu sustentabantur, simul ac instituebantur bonis præceptis ingenia [1]. Plerique scholares, ut diximus, fere omnium rudes erant artium, ita ut Fratres eos prima literarum rudimenta docere debuerint, scilicet legere, scribere, cantare. Aliquando magistri tam idonei videbantur ad hoc opus, ut rectores scholæ civitatis eorum requirerent auxilium ad inferiores classes regendas. Ita, inter domum Fratrum V. C. et municipalem vel cathedralem ludum nascebatur consuetudo beneficiorum, quæ scholaribus erat perutilissima.

Nam, ut Massæi verba mutuemur, *non literas tantum. sed et mores quoque suos discipulos et bene vivere docebant* [2]. Hunc sibi finem proposuerant in ludis aperiendis. Non tam doctos quam honestos devotosque clericos instituere conabantur : ad hoc efficiendum nulli parcebant labori. Posterius tantum, desinente XV° sæculo, domus Fratrum conversæ sunt in gymnasia, ad ediscenda

[1] Alb. Miræus, *Regulæ et Constitutiones*, p. 20 : « Ceterum singulis fere domibus gymnasia, seu scholæ fuerunt annexæ, in quibus ipsi Fratres V. C. juventutem undique confluentem optimis et literis et moribus imbuebant. »

[2] Excerptum ex Chronicis Massæi, in Miræi opere citato.

veterum scripta. Tunc, vicissim, conduxerunt externos magistros, quorum auxilium sibi parabant maximo pretio et qui ipsi ingenio ornatissimo piisque moribus commendabantur. Exemplo sint Despauterius, Macropedius, Torrentinus. Quin etiam, evenit ut aliqui, inter illos doctores, quos suaserant urbanitas bonique mores Fratrum, eorum sodalitio sponte sua se aggregaverint. Sicut Hendricus Van Herxen, qui Zwollensi ludo prius docuerat, sed postea, factus amator vitæ Deo devotioris, recessit in domum Fratrum.

Ex supradictis liquet historiam Sodalitii in tres ætates dividi posse : Primam quidem dixerim mysticam, quia instar Gerardi et Florentii, enixe agebant ut devotionem clericorum adolescentium novis moribus informarent et ad fontem Evangelii revocarent. Ætas illa desinit circa obitum Florentii (MCCCLXXI ad MCCCC).

Secunda autem vocari potest scholastica, quia collegia plerique domibus suis adjunxerunt, ubi scholares ad pietatem illam literatam et bonos more instituerent ; imo, ubi deerant ludi, novos aperuerunt. (MCCCC ad MDV.)

In tertia denique ætate, quam literariam dixerim, institerunt, a longinquo primum, vestigiis restitutorum veterum literarum, qui « Humanistæ », vocantur, domusque suas in gymnasia converterunt. (MDV ad finem XVI sæculi.)

Postquam originem et propositum Hieronymitarum in pueris educandis descripsimus, nobis videndum est ubi collegia, ubi scholas aperuerint? Quid regimen, quæ ratio studiorum in singulis adhiberetur? Supra diximus Fratrum collegia exstitisse a Cameraco ad Culmum, et a Scaldi flumine ad Vistulam. Anno MCCCCLXX, Joannes Buschius, diligens ille Annalium Windesemensium scriptor, quum numerum iniret domorum Fratrum et Sororum Vitæ Com-

munis (collegia enim ad usum[1] puellarum quoque tenebant), plus quam quinquaginta esse existimabat; plerisque autem subjunctus erat ludus. Sed, ne adducamur ad longiorem æquo dissertationem, nobis propositum est solos, in Nederlandia tam boreali quam australi ludos, considerare. Horum quidem fere viginti erant, de quibus singulis jamjam dicendum est.

I. IN NEDERLANDIA BOREALI, SEU BATAVIA.

DAVENTRIA.

A Daventria, genitrice Sodalitii, incipiendum. Schola, capitulo adjuncta, ad pessimum statum Canonicorum negligentia reducta fuerat. Divites tantum scholares prælectionibus frui poterant, quia stipendia et libri magni erant pretii. Pauperibus clericis opus erat mendicandi vel fungendi labore manuum ad victum sibi parandum.

Gerardus et Florentius primi operam ludo suæ civitatis dederunt, tam recipiendis pauperibus in domum suam, quam curando ut docendi peritiores magistri classes regerent et leges scholæ darentur. Quæ, a Dumbaro servatæ, bonos mores et officia ecclesiastica præscribunt, dum de materia ediscenda vel ratione docendi pene omnino tacent. Florentius Rodiginus et Joannes ab Arbore qui, tempore Gerardi Magni, rectores scholæ vocantur, sodalitio Hieronymitarum arctis nexi erant vinculis, Rodiginus enim non

[1] V. Claus Euskerken, in *Wildenhahn*: « Die Schulen der Brüder von Gemeinsamen Leben », p. 14. Cf. Dillenburger, *Geschichte des Gymnasiums zu Emmerich*, pag. 33: Johannes Brinckerink, discipulus Gerardi Magni primam Sororum Vitæ Communis domum extra Daventriæ muros; alteram vero Embricæ condidit (MCCCCXIX).

alius quam Radewynius esse mihi videtur. Imo, sigillum domus Fratrum Daventriensis icones S^ti Gregorii oculis præbebat, cum his verbis circa icones incisis DNI FLORENTII IN DAVENTRIA S : PTRORUM ET CLERICORUM DOMUS. Cujus incolæ vocabantur : *Fratres Vitæ Communis* seu *Scholares* vel *Scholastici*, quia ibi reformatores scholarum fuerant [1], aliquando etiam *Custodes librorum mag. Gerardi, Joannis de Gronde, et mag. Florentii*, quia prædicti magistri primam in hac domo constituerant bibliothecam.

Inter inclytos rectores vel magistros Scholæ capitularis indicandi sunt : Jacobus (a Gouda), Henricus (ab Amersfordio) et præsertim Alexander Hegius (MCCCCLXXV ad XCXVIII) qui Gerardi sententiam tenebat de perniciosis literis, quæ cum jactura probitatis discuntur et Fratribus aliqua Scholæ loca dedit regenda. Utebatur Rector ille magistro Zinthio, qui sodalitio se adjunxerat et de quo scripsit Erasmus.

« Tandem, ex pueris collusoribus qui, grandiores natu, » audiebant Zinthium, primum melioris doctrinæ odorem » cœpi. Post, aliquoties audivi Hegium, sed nonnisi diebus » festis, quibus legebat omnibus. Hic perveni ad ter- » tiam classem. » Alias quoque testatur « se Hegii memo- » riam patris cujusdam instar semper culturum fore [2] ». Inter discipulos, autem, claruerunt prædictus Desiderius Erasmus, Thomas a Kempis, Joannes Buschius, Conrad Gochlenius et Joannes Murmellius, qui Hieronymitarum laudes sic cecinit :

[1] MASSÆUS, *Chronicon multiplicis historiæ utriusque Testamenti*. Antwerpiæ, MDXL.

[2] ERASMUS, *Compendium Vitæ*, Adagia, cent. IV, n° 39. Zynthius vocatur alias Synthemius.

Hic veri Fratres ac simplicitatis amantes
Cœnobiis prosunt gymnasiumque juvant.
Et quia sunt docti, doctos venerantur amantque
Barbariem totis viribus ejiciunt[1]!

Tempore quo Hegius scholam dirigebat, floruit maxime collegium Daventriense; tunc ludo inerant sex et usque ad octo centum scholares, quorum pars Florentii domo recipiebantur. Domus autem cum fundis civitati concessa fuit ab ultimo rectore Gottfriedo Huessen. (MDLXXV.)

Zwolla.

Zwollæ, non minus quam Daventriæ, bene meritum est sodalitium Vitæ Communis de pueris instituendis. Civitas enim sustentabat ludum celeberrimum in quo superiores classes a Parisiensibus magistris regebantur, et quo undique concurrebant octingenti et pene mille scholares. Scholæ municipali præerat Joannes Celius (MCCCLXXVII-MCDXVII de quo supra diximus, tanquam Gerardo amicissimo et qui mystica ejus pietate fervebat, etsi Fratrum sodalitio non addictus erat. Ille quidem pietatem cum litterarium studio infudit scholaribus, moresque eorum ad exemplar magistri informant. « Studium Zwollense, refert Buschius, tunc satis exiguum in bonum et solemne studium particulare promovit. » In quo, innisus est Cele rectoribus domus Fratrum, Gerardo a Kalkare et Diderico ab Herxen. Hi autem regebant duo collegia, cujus unum « Domus minor », alterum « Domus pauperum » appellabatur. In ulteriore educabantur pueri ; in priore vero recipiebantur adolescentes, quorum eruditiores docendis pueris in inferioribus scholæ locis

[1] Murmellius, *Epigrammata parænetica*, Daventriæ, MDXVI, Cf. Melanchtonis Opus citatum, in pag. 33.

operam dabant. Quorum habes exemplum in Joanne Wesselo (dicto Gansefoort). Magister ille qui postea tantam adeptus est famam, ut a discipulis *Lux mundi* appellaretur, humillima docendi initia fecit. Hospes Domus minoris Zwollensis, et Fratrum vestem indutus, Wesselus rexit vicissim primam, secundam, dein tertiam scholæ classem; scholares quoque in ecclesiam et ad procuratoris collationem ducere solebat, quippe qui magistri docentis et pædagogi officio simul fungeretur. Ex quo intelligere possis, quomodo etsi distinctus, ludus publicus et domus Fratrum se invicem adjuverint. Henricus ab Herxen (mortuus MCCCCLXXXII) qui, annos quinque domui pauperum præfuit, rexerat classem quamdam in ludo Zwollensi. Tantum ibi floruerant Fratres Vitæ Communis ut, desinente xv seculo ecclesiam S^to^ Gregorio dicatam amplumque collegium propriis impensis exstruxerint. Quod Gerardus Listrius[1] laudibus extollit, referens illud ducentis alumnis hospitium præbuisse.

Amersfordia.

De aliis, in Nederlandia superiore, collegiis, tanquam minoris momenti, pauca satis erunt. Amersfordienses Fratres unum ex suis magistrum commodaverunt ludo civitatis, qui in ecclesia S^ti^ Joannis tenebatur. Wilhelmus Hendrixen, prior domus et amicissimus Florentio, plurimum contulit ad educandos scholares. Inter cæteros ludi magistros qui Fratrum socii vel auxiliares fuere, referendi sunt Petrus Montanus (MD), G. Listrius, et imprimis Christophorus et Petrus Vladeraccus, qui de literis veterum renovandis bene meruerunt. *Hulsbergii*, prope Hattem

[1] Lindenbom, *Historia episcopatus Daventriensis. Coloniæ*, MDCLXX, in-8°.

Hornii constat aliquandiu exstitisse Fratres Hieronymitanos, qui pueros edocebant; sed parvi momenti fuerunt ista collegia [1].

Delphium.

Delphii autem Domus Fratrum vocata fuit « Vallis Hieronymi », cui adjunctum fuit hospitium ad recipiendos duodecim adolescentes, qui a Fratribus instituerentur. Exercebantur quoque in musica et canendis canticis. Abhinc vocati sunt Fratres, qui gymnasium Hieronymiense Trajecti constituerunt.

Gouda.

Goudæ quoque curam dabant Fratres Vitæ Communis pauperibus clericis edocendis; illi quidem primum latinæ linguæ studium in ludum civitatis intulerunt. Musa romana ibi feliciter colebatur, ut videre possis ex poematibus Jacobi et Francisci de Gouda. Sed, inter omnes Fratrum alumnos, supereminet Joannes Standonk qui, ex humili ortu, prælectionibus et curis Hieronymitarum eo adductus est, ut Universitatem Parisiensem adire potuerit et, post debitas promotiones, ejus rector evaserit.

Doesburgum.

Domus Fratrum Doesburgensis stabat sub invocatione Sti Gregorii; bibliothecamque a Diderico Van Herxen acceperat (MCDXXV); cujus sodales operam quoque dabant pueris instituendis.

[1] A. Miræus, *Regulæ et Constitutiones*, cap. X et XIX.

Groninga.

Ludus Groningensis non ante xvi^um^ sæculum celeber factus est. Non Rectori domus Fratrum subjectus erat; sed ibi, sicut alias, classes regebantur a sodalibus vel discipulis Vitæ Communis, qui humaniorum disciplinarum studium, veramque pietatem fovebant. Liberiore spiritu mag. Wesseli (Groningensis) instincti, plures ex Zwollensi domo Fratres eo venerunt, ad docendum in schola civitatis. Exemplo sint : Goswinus Ab Halen, quem Erasmus « excellentissimum virum, omni genere disciplinæ excellentem » dicit, et qui cum Agricola familiaris erat; Hermannus Torrentinus (Van der Beek, mortuus MDXX) qui tantum contulit, ad studium latinæ grammaticæ facilius reddendum et primum « Vocabularium » ad ediscendam historiam geographiamque scripsit (Daventriæ, MCCCCXCXVIII) deinde Reinerius a Winsemo, dictus Prædinius (mortuus MDXC) qui inter omnes inclaruit excellenti arte docendi et ad cujus prælectiones concurrebant undique scholares.

Harderovicum.

Schola Harderoviciana circa MCCCLXXXII, multo ante Fratrum adventum constituta fuit; sed insigne præsidium progressumque accepit a Diderico ab Herxen, primo eorum domus rectore. Inter ludi magistros laudandus est Petrus Apherdianus, Frater Vitæ Communis, qui *Tirocinium linguæ latinæ ad usum studiosæ juventutis* scripsit (Coloniæ, MDXLV, ex ædibus scholasticis Fratrum Divi Gregorii).

Trajectum ad Rhenum.

Trajecti ad Rhenum uni ex capitularibus scholis præfecti fuere Fratres a Delphio vocati ; domus ei cum pecunia data fuit episcopi decreto, lato ante diem III nonas Martii. Cui nomen fuit impositum : « Gymnasium Hieronymi. » Mox eo convenerunt undique scholares, ita ut rectores post duos annos, nova hospitalia acquirere debuerint. Attamen, imminente Reformatione xvi[i] sæculi cœperat collegium derelinqui ; qua causa motus, vicarius Episcopi Trajectensis epistola pollicitus est remissionem pœnarum Purgatorii (quæ vulgo dicuntur Indulgentiæ), in quadraginta dies, « unicuique puero circa scholas assiduo et omni civi qui Fratribus libros conscribendos vel compaginandos daret (A° MDXXVII). Præcipui autem rectores et magistri fuere : Johannes Rodius, qui episcopum Philippum a Burgundia adjuvit ad Novum Testamentum lingua nederlandica edendum (MDXXIII); Lambertus Hortensius (mortuus MDLXXIV) ; Georgius Macropedius (m. MDLVIII) et Cornelius Valerius (m. MDLXIX). Scholis capitularibus decreto magistratum abolitis (MDLXVI), gymnasium Hieronymi non diu superfuit. Tanta vero erat fama Fratrum institutorum juventutis ut novæ scholæ a magistratibus constitutæ ab illis nomen Hieronymi continuaverint.

Noviomagus.

Noviomagum vocati sunt Hieronymitæ a Buscoduco (A° MCCCCLXXV) et in hac civitate, palatio Caroli Magni, insignis illius scholarum fautoris, sunt recepti. Quorum alumni non semel in « Libris Rationis » civitatis referuntur sub titulo : « *Scholares S*[ti] *Gregorii seu clerici in*

scholis. » Collegium illud incrementum obtinuit donatione Fratribus Kal. Julii MDXXII facta. Pecunia autem data erat « ad sex pauperes scholares hospitio recipiendos et in » disciplina et scientia educandos. Pueri non minores » XIV annis natu et jam quintarii (i. e. quintæ classi ad- » dicti) esse debebant, antequam admitterentur in Fratrum » domum. Bursa frui poterant quandiu bene valerent et in » studendo progrederentur; contra, beneficio destituendus » erat si quis disciplinæ resisteret, ex gymnasio injussus » exiret aut studio inhabilis videretur. » Post institutionem Latini gymnasii plures Fratrum rectores, qui de eo bene meriti erant, a magistratibus honoribus ornati fuere ; sed introducta fide a Reformatione dicta, domus Fratrum obsolevit et circa A^{um} MDXCII abolita est.

II. COLLEGIA FRATRUM VITÆ COMMUNIS IN NEERLANDIA AUSTRALI, SIVE BELGICA.

Initio xv^{i} sæculi non existebant inter borealem et australem Nederlandiæ partem discrimina religionis et regiminis, quæ nunc duo Bataviæ et Belgicæ regna dividunt. Prædictæ civitates episcopo Trajectensi subditæ erant ; quæ vero sequuntur mandatis episcoporum Cameraci, Tornaci et Leodii parebant. Sed his omnibus una fides, unus libertatis amor et monachorum ignarorum odium, unus fervor ad studium renascens bonarum literarum refovendum. Itaque sodalitium, a Gerardo Florentioque Daventriæ institutum, non in minore fuit gratia apud Belgas, et ibi quoque prospera collegia in pluribus condidit urbibus. Illic, quin etiam! primum exercuit mirificam a Guten-

bergo inventam artem, eamque adhibuit melioribus veterum scriptorum exemplaribus multiplicandis et in usum scholarium inducendis.

BUSCODUCUM SEU SILVADUCIS.

Prima inter Belgicas civitates, Hieronymitas ad pueros instituendos quæsivit Buscoducum [1]; hæc autem fuit occasio rei. Joannes IV, dux Brabantiæ, instantibus Lovaniensibus, in animo habebat Lovanii « Universitatem » condere; quod reipsa evenit anno MCCCCXXVI. Sed opus erat scholis inferioribus, in circumjecta provincia, quibus pueri ad ediscendas Artes liberales pararentur. Qua causa moti, magistratus Silvæducis, A° MCCCCXXIV aliquos a Zwolla Fratres impetrant, qui huic operam darent. — Igitur, Gerardus Scadde a Kalkare, magister ex artibus, a Diderico Herxenio tanquam prior missus, præfuit novo collegio, quod S^to^ Gregorio fuit dicatum; et, docendis latina græcaque linguis mox celebres facti sunt Fratres « Gregoriani ». Præter jus communia bona possidendi, plura illis privilegia, quod ecclesiastica officia attinet, data fuere charta Legati apostolici Onufrii (MCCCCLXIX).

Scholares, pro suis opibus, in tres partes dividebantur : divites, mediocres, pauperes. Quum Fratres a Leodiensi episcopo licentiam assecuti essent ultimos, nulla mercede accepta, docendi [2]; undique concurrerunt pueri ad Silvæducis collegium, ita ut numerus studentium ad mille et ducentos creverit. — Inter magistros, qui in eo eminuerunt, citandi sunt qui sequuntur :

[1] GRAMAYE, *Antiquitates Brabantiæ*, in descriptione Taxandriæ. Cap. VIII.

[2] ALB. MIRÆUS, *Diplomatum Belgicorum Collectio*. Bruxellæ, 1848, tome III, p. 317; t. IV, p. 443 et suiv.

Romboldus (circa MCCCCLXXXIV), quem Erasmus tres annos habuit magistrum et « non omnino stultum ac malum » maligne dicit;

Gerardus Canisius, qui latinam grammaticam scripsit, supponendam in locum Doctrinalis Alexandri a Villa Dei, et ibi classem quamdam circa MDXII regebat;

Joannes Despauterius (obiit MDXX), Canisii discipulus et excellens arte docendi, in qua versatus est Lovanii, Buscoduci, Insulæ et Cominii. Illi singulare privilegium contigit, ut, semotis omnibus aliis grammaticis, ipsius « *Commentarii grammatici* » a Synodo Machliniensi toti provinciæ præscripti sint;

Georgius Macropedius (obiit MDLVIII), cui, non minorem famam adepto, jam in Trajecto ad Rhenum occurrimus;

Christophorus et Pedrus Vladeraccus, qui non solum in latinis et græcis, sed hebræis quoque literis versabantur; denique Lambertus Berchemius, qui « *Leges Scholæ Silvæducensis* » typis mandavit (MDCIII). In hac urbe, enim, sicut Goudæ, Fratres typographiam constituerant, qua libros edebant scholasticos [1] et communi ærario opes conferebant.

Ex discipulis autem hujus ludi, non minore memoria digni sunt, teste A. Miræo, Franciscus Sonnius, Antwerpiensis, et Martinus Rithovius, Ypensis episcopus; Goropius Becanus, Verrepæus, aliique viri celeberrimi. « Bona dein cesserunt, inquit, A° MDCXVII, ad augmentum præbendarum capituli Cathedralis. Domus ipsa Fratrum ad erectionem seminarii adhibita fuit [2]. »

[1] *Leges Scolæ Silvæducensis*, TURNHOUT, 1603. Edidit Lambertus Berchemius. H. TORRENTINI, *Commentarius in XIII elegias Sabellici* de B. Virgine Silvæducis, apud Fratres Gregorianos, in-4° (s. d.).

[2] ALB. MIRÆUS, *Op. citat.*, tome IV, p. 443.

Gandavum.

Fratres Vitæ Communis Gandavum non multis annis post erectionem collegii Silvæducensis, advenerunt; utpote qui domum in arce vetere Gerardi Villani, ad Scaldim flumen, circa MCCCCXXIX, construxerint. Nuncupati sunt autem Hieronymiani seu « Fratres XII Apostolorum » in bulla S^ti^ Pontificis Eugenii IV (XVII kalendas Septembris A^i^ MCCCCXLIV) quæ eorum leges et privilegia confirmabant. His quoque verbis Fratrum virtutes commendat pontifex Pius II (mense Februario A^i^ MCCCCLXII) : « Nos » igitur, ut personæ devotæ quæ in domo SS^orum^ Aposto- » lorum et Hieronymi, de laboribus manuum suarum et » ligatione librorum et institutione scholarium vivunt, eo » ferventius Altissimo Deo famulari studeant, concedimus » ut confessor ab iis electus scholarium confessiones au- » diat. »

Ex magistris hujus scholæ, memoratu digni videntur : Ægidius et Gillius de Wilde, fratres non sanguine tantum, sed communi Sodalitii nexu;

Christianus Massæus (defunctus A° MDLXIV) qui *Grammaticas præceptiones*, *Artem versificatoriam* (A° MDXXXIV) et *Chronicon multiplicis Historiæ utriusque Testamenti* (Antwerpiæ A° MDXL) composuit, in quo testimonium in fronte hujus opusculi suscriptum Fratribus dedit.

Inter discipulos autem supereminet inclytus ille Parisiensis typographiæ magister, Jodocus Badius Ascensius (natus Asciæ, MCCCCLXII, def. MDXXXV), qui de literarum republica tam bene meritus est, edendis Erasmi optimorumque Latinorum scriptorum operibus, et testimonium, suprascriptum magistris suis dedit, non minus præcla-

rum [1]. Gandavense Collegium decretis contra Erasmi libellos nondiu superfuit; nam anno MDLXIX, census annui Fratrum per Cornelium Jansenium, episcopum, seminario episcopatus ejusdem urbis attributi fuere.

Lovanium.

Buscoduci et Gandavi collegio invidebant Lovanienses, etsi « Studio generali » sive *Universitate* ab anno MCCCCXXVI fruebantur; hæc autem, ut supradictum, non satis erat ad juniores scholares expoliendos. Igitur anno MCCCCXXIII Henricus Wellens, capellanus S^ti^ Petri (Lovanii) arcessivit aliquos a Daventria Fratres, ad hoc propositum. Duo, Ægidius Walramus et Petrus ab Amstelodamo vocanti obsecuti sunt et tam in docendo quam in libris exscribendis, versati fuere; ita ut, non multos post annos, abundantem collegerint bibliothecam. Inventa autem arte typographica, conati sunt isti, ad instar Fratrum Goudæ et Silvæducis, quædam manuscripta opuscula typis mandare; sed Joanne de Westphalia, peritissimo illo nascentis artis magistro, cum ipsis competente, ab eo victi sunt et incepto mox destiterunt. Post annum MCCCCXLVII, videntur pristinam in docendo diligentiam paululum remisisse; sed, exeunte XV° sæculo, a Joanne Standonk ad pium fervorem revocati sunt. Inter quatuor enim collegia, quæ ab inclyto illo Fratrum alumno et rectori Parisiensis Universitatis fundata, *Standonica* a nomine fundatoris dicebantur, Lovaniense refertur a Miræo, tanquam ejus tempore celeberrimum variisque ornatum privilegiis [2].

[1] V. pag. 48, in initio hujus capituli,

[2] A. Miræus, *Diplomatum Belgicorum nova Collectio*. Bruxellis, P. Foppens, MDCCLVIII.

Bruxellæ.

Bruxellæ omnes Brabantiæ Flandriæque civitates omni tempore supereminuerunt, studio puerorum plebis instituendorum. Primæ quidem leges scholasticæ, a ducibus Brabantiæ latæ, ab anno MCCCXX repetendæ sunt. Nil igitur mirum, si, fama pædogogicæ virtutis Fratrum Daventriensium cito manante, magistratus urbis, capitis provinciæ, nonnullos ex Sodalitio ad Scholam aperiendam mandaverint, anno MCCCLX. Domus dicta « *Nazareth* » ad Sennam sita, prope ecclesiam S[ti] Gerici, eis data fuit, ut eam incolerent. Ut alias, pueris instituendis librisque manu scribendis se dederunt, et eos successus aluit. Nam anno MCCCCLXIX, Onufrio a Tricario, legato apostolico commendante, adepti sunt bullam S. P. Pauli II, qua eis similia dabantur jura, quæ antea domibus Fratrum Amersfordii, Gandavi et Silvæducis. Inter insignes collegii Bruxellensis alumnos, notandi sunt Joannes Miræus, qui episcopus Antwerpiæ factus est et Albertus Miræus, qui tot et tam eruditos de Belgicis rebus ecclesiasticis libros scripsit. Bruxellenses Fratres, artem typographicam a sodalibus monasterii S[ti] Martini (in Leodiensi diœcesi), vel a monachis Vallis S[tæ] Mariæ, tanquam adjutorium valde utile operi scholastico festinantes acceperunt. Sed de hoc amplius infra dicetur.

At post plurima impedimenta sibi a scholarum civitatis præside facta, Hieronymitæ impetraverunt licentiam docendi sexaginta tantum indigenarum liberos, et omnes advenarum pueros; hac quidem lege ut pauperes nulla mercede instituerentur (MDXV). Anno demum MDLXIX conversa fuit domus « Nazareth » in scholam publicam

et, post Hispanicum bellum, omnino desiit (MDLXXX)[1].

Gerardi Mons.

In diplomate Onufrii, legati apostolici, quo Silvæducis Fratribus privilegia collata sunt, refertur *Collegium Hieronymitarum* Gerardi Montis. In hac enim parva Flandriæ civitate, diœcesis Machliniensi inclusa, exstitit olim domus Fratrum S^ti^ Gregorii, vulgo S^ti^ Joannis dictorum. Cui, ad flumen Teneram sitæ, annexus fuit ludus literarius, quo scholares ad ediscendam latinam linguam undique concurrebant, fama magistrorum adducti. Deficiente vero Fratrum numero, possessiones seminario episcopatus Gandavensis concessæ fuere.

Machlinia, Valentiana, Cameracum.

Joannem Standonk jam supra diximus, istum sutoris filium, qui curis Goudanarum Fratrum tam bene instructus fuerat, ut in Parisiensi Universitate mox scientia inclaresceret. Ille quidem factus celeberrimus tam sapientia in restaurando Montis-Acuti collegio quam fideli erga reginam Joannam reverentia, reversus est in patriam; nec quievit donec illam beneficiis scholarum condonaret. Quatuor igitur collegia erexit quæ, a fundatore, « Standonica » fuere cognominata : I, Lovaniense, de quo supra; II, Machliniense, quod, tempore Hispanici belli dilapsum, Hovius III archiepiscopus in seminarium convertit; III, dein Valentianense quod « Seminarium bonorum puerorum » vocabatur et ubi literæ docebantur humaniores; IV, Cameracense, quod A° MDV apertum fuit et a Gandavensi

[1] Lambinet, *Recherches sur l'origine de l'imprimerie, particulièrement au* xv^e^ *siècle*. Bruxelles, an VII, in 8°.

domo quinque Fratres tanquam magistros accepit ; inter quos aliquandiu fuit Christianus Massæus. Ultimum illud gymnasium, etsi a Jacobo a Croy episcopo ditissime condonatum, cessavit circa A^um^ MDLXII.

Leodium.

Leodium urbem vidimus, cum Trajecto ad Rhenum, antiquissimas in Nederlandia scholas habuisse ; sed XV° sæculo admodum dilapsæ erant. Exemplo sit domus illa dicta « Bonorum puerorum », capitulo subjecta, sed adeo corrupta ut quasi lupanar facta esset ! Ibi primum fecit operis scholastici inchoamentum quidam Daventriensis frater ; sed post non multos annos, quum ipse malis moribus corruptus fuisset, clausa fuit schola ab episcopo A° MCCCXXVIII. At septuaginta annis postea, denuo vocati sunt (A° MCCCCXCVI) Fratres, ex Silvaducensi collegio, et ab episcopo recepti in domum, ad Mosam sitam et quæ S^to^ Hieronymo dicata fuit. Ibi, saltem, bonam Gerardi Magni sodalitii famam servaverunt Fratres, conscribendis vel compaginandis libris, et juventute instituenda ; quum autem petasi eorum penna ornati essent, *Fratres a penna* vulgo vocabantur. — Inter magistros qui in ea docuerunt et, studio veterum imbuti, latinam grammaticam barbaris vocibus purgare conati sunt, solus G. Macropedius inclaruit ; aliorum nomina tantum nobis a J. Sturmio in epistola ad Leodiensem episcopum servata sunt [1].

Inter discipulos vero qui, in hoc gymnasio eruditi sunt, eminuere : Joannes Placentius, Dominicanus, qui plura de rebus gestis a Belgis scripsit (def. MDXLVIII) ; Jacobus

[1] J. Sturmius, in *Epistolis Classicis*, numerat tanquam suos magistros : Arnoldum Einatensem, Jacobum Blomedal, Henricum Bremensem, Gerardum Episcopium, Nicolaum Nigman (Ep. XVI diei ante Kal. Junii).

a Panhausis (mortuus A° MDLXXXII), qui multos tractatus de sacris Literis et vitas bonorum atque malorum prælatorum reliquit; et imprimis Joannes Sturmius (natus A° MDVII Sleidæ), qui postquam Lovanii græca manuscripta typis mandaverat et Lutetiæ literas humaniores, in ludo publico, docuerat, a magistratibus Argentoratum vocatus, ludum hujus civitatis, ad instar Leodiensis, omnino restauravit et ibi obiit circa A^{um} MDLXXXIX. Ex illius scriptis rationem studiorum, a Fratribus Vitæ Communis in ultima Sodalitii ætate adhibitam inferre licet [1].

[1] J. STURMIUS, *De ludis recte aperiendis* Argentorati, MDXLIX.

CAPUT V

DE REGIMINE ET RATIONE STUDIORUM IN COLLEGIIS FRATRUM VITÆ COMMUNIS.

Quomodo collegia Hieronymitarum cum capitularibus vel civitatum scholis nexa fuerint; quid fuerit verum Sodalitii propositum, et quid proprium fuerit cuique ejus historiæ ætati; denique, quam habuerint fortunam præcipuæ Nederlandicæ scholæ, quibus operam dederunt: hæc in superiore capitulo diligenter exponere conati sumus.

Superest ut dicamus: a quibus magistris rectæ fuerint classes? qualis fuerit modus vivendi et quæ regulæ discentium? quas tandem artes docerentur pueri?

Affinitas inter omnes domos Vitæ communis.

Primum quidem animadvertendum est, omnes illas domos, tam aspectu diversas, quum magistratibus civitatum, tum Capitulis ecclesiarum subjectas, tamen certis nodis certaque affinitate jugatas fuisse. Consensus autem iste nascebatur ex iis animi affectibus, quos a fundatore Gerardo Magno acceperant, scilicet amore inopum scholarium, cura morum et pietatis a scientia non abhorrentis, et majore reverentia Scripturarum et Veterum Scripto-

rum, quam Doctorum qui Scholastici vulgo appellantur.

Dum Florentius vixerat, affinitatem istam, quæ sodalitii decus et virtutem efficiebat, ipse tuitus erat epistolis et præceptis. Illo mortuo, rectores domus genitricis, Joannes Vos ab Heusden et Egbertus a Beek cœperunt inspicere domos, ut controversias componerent, servarent mores studiaque foverent; quod « visitationem » solebant appellare. Prætera rectores collegiorum quotannis conveniebant dominica die post Paschæ solennia Daventriam, postea vero Zwollam, ad colloquendum de rebus quæ ad sodalitii causam pertinerent. Sic, duplici ratione, et ducis sodalitii visitationibus et rectorum concursu firmatus fuit consensus ille animorum quo, magis quam vestium similitudine, Hieronymitæ in tota Nederlandia conspicui facti sunt et multo majorem apud populum gratiam obtinuerunt quam Monachi mendicantes.

De Rectore.

Cuique domui suus rector præerat, quem dignoscere oportet a « Rectore » scholæ civitatis vel a « Scholastico » ludi capitularis; ille enim suppositus erat priori domus Fratrum, quæ in eadem urbe stabat. Rectoris officium erat eligere magistros qui classes regerent, classes in decurias dividere, præscribere qui libri legendi essent, de profectu puerorum judicare et in omnes animadvertere. Miretur fortasse aliquis nostrum rectorem — qui plerumque ipse primum ordinem regebat — tantam habuisse in collegas auctoritatem ! Hæc autem rationi congruens videbatur illis temporibus, quibus nemo officiis repugnabat. Tunc enim non contendebatur a magistris ad inanem paritatis umbram, sed jura observabantur quæ majoribus meritis acquisita fuerant.

De magistris.

Inquiramus nunc, qua ratione magistri ad docendum informarentur? Primi quidem, instar Gerardi et Florentii, ex Studiis generalibus seu Universitatibus orti erant; exemplo sint J. Celius et A. Hegius qui Pragensem et Coloniensem frequentaverant. Jamjam vero domus ipsæ Hieronymi idoneæ factæ sunt ad alenda futurorum ingenia magistrorum, ita ut in sodalitio ipso edocti sint J. Buschius, Thomas a Kempis, Wesselus, Sturmius. In plurimis autem scholis, inferiores classes regendæ dabantur discipulis primæ classis, quibus « primarii » nomen erat. In tertia tantum ætate sodalitii, conati sunt Fratres, magna proposita mercede, peritissimos docendi inter cultores antiquarum literarum suis collegiis tanquam magistros adstringere. « *Præceptoris non est scire, sed et posse docere* » solebat dicere Wesselus. Huic innisi rationi, ab omnibus magistris exigebant facultatem docendi potius quam doctrinam et præsertim incorruptos mores sinceramque pietatem; jacturam enim æstimabant scientiam quæ detrimento virtutis est acquisita. Contra, maxima cuique magistro, in regenda classe, libertas tribuebatur, ita ut proprio ingenio vela dare posset. Imo, hoc magistri docentes in collegiis Fratrum præstabant aliis omnibus, quod in eadem domo diu permanerent[1]. Quum, in plerisque Studiis, præceptores sæpe discederent ab uno ad aliud, spe ditiorum Minervalium capti aut quia se majore theatro dignos putarent; magistri nostri frequentia discentium magis gaudebant, quam majore mercede; et amore juventutis potius quam spe honorum collegiis adhærebant.

[1] Murmellius permansit docendo XIII annos Monasterii; Alex. Hegius, XXXIII annos Daventriæ; Joannes Celius, XL annos Zwoliæ.

De modo vivendi Scholarium.

Hoc autem, magis quam perseverantia magistrorum contulit ad prosperam collegiorum Hieronymitarum fortunam, quod pauperes nulla mercede instituerentur, et in ordines sive loca divisi essent. Una voce — salvo quidem Erasmo, qui memoria beneficiorum non inclaruit — testantur historici Fratres Vitæ Communis gratuitam habuisse curam indigentium scholarium, in qua re vestigiis conditorum sodalitii insistebant. J. Buschius, in « Chronicis Windesemensibus » et Thomas a Kempis, in « Chronicis Montagnetanis », grato memorant animo, quanta liberalitate alti fuerint. Supra diximus, quæ pauperum studentium conditio esset in scholis eo tempore; operæ pretium est rem amplius exponere. Sicut in Silvaducensi collegio, scholares in tres partes dividebantur, quod ad opes attinebat: divites — mediocres — pauperes. Primi quidem, nummis abundantes, singuli ex macello victum sibi parabant et servis ad hunc coquendum utebantur in propria domo. Secundi autem, in una domo, certo numero commanentes, pecuniam, a parentibus singulis mensibus acceptam, in commune ponebant et expendebant prout res postulabat. Pauperes vero, quæ scholarium pars erat maxima, eo reducti erant, ad vivendum, ut ostiatim diaria mendicarent, aut ægre quæritarent permodicis servitiis pro civibus faciendis, scilicet lignis conficiendis, vel aqua bajulanda, vel ocreis atramento illinendis. Fingamus nobis ante oculos Erasmum aut Wesselum atramento illinentem ocreas crassi Nederlandici burgomagistri !

Istis miseris succurrerunt Fratres, memores divinæ Christi erga pauperes caritatis; istos, Dei gratia, suis

hospitiis potissimum recipiebant ; istis doctrinæ suæ pretium condonabant ; imo, istis chartam, pennas et cætera scriptoribus necessaria gratis tribuebant. Hoc igitur Hieronymitis æterno erit decori, quod æraria scholastica primi instituerint. Ceterum constat plerosque eorum alumnos foris habitasse : domus enim Vitæ communis, extra aliquos clericos aut laïcos sodalitii participes, paucis hospitium præbere poterant. Exempli causa, Delphica domus et Trajectensis quæque duodecim, Embrica viginti quatuor, vel ut maxime trigenti duos, Daventriensis sexaginta, vel ut plurimum septuaginta alumnos continebant. Zwollenses Fratres — præter solitum numerum — collegium ædificaverunt in quo ducenti scholares inesse poterant. Multo autem major erat forensium discipulorum numerus : Zwollæ crevit ad octingentos ; Buscoduci, ad mille et ducentos ; Daventriæ, usque ad duo millia ; Leodii, quoque, non minor videtur fuisse frequentia scholarium.

De divisione collegiorium.

Cum multitudo discentium tantum increvisset, quorum ætas et ingenium multum differebant, Hieronymitæ eo venerunt, ut discipulos in classes seu loca, secundum ætatem et doctrinam dividerent. Quæ docendi ratio non ab illis quidem creata — cum a Ferreolo quodam Gallorum episcopo referatur primam scholis fuisse adhibitam ; sed illi eadem in omnibus suis collegiis diligenter usi sunt et divisionem secundum meliorem rationem instituerunt. Hæc igitur erat divisio Fratrum.

Scholam, quam primum, scindebant in duas partes :

In priore, quæ « Elementaria » vocari potest, pueri docebantur elementa, id est : legere, characteres formare, grammaticam et arithmeticam. In altera, vero, quam

« Classicam » vel « Humanam » dixerim, ediscebant græcam linguam, rhetoricam, dialecticam ceterasque humaniores disciplinas. Duæ autem partes dividebantur in classes seu loca, quorum numerus in diversis scholis minime differebat ; sex aut septem Daventriæ et Buscoduci ; octo Zwollæ et Leodii. In quoque denique loco, octo vel decem discentes glomerare solebant in turmam, quæ « Decuria » vocabatur et cui præerat unus scholarium dictus « Decurio » seu « Monitor », quia alios monere vel animadvertere debebat. Classes enim, in celebrioribus scholis, discentibus redundabant, teste J. Buschio qui narrat se usque ad septuaginta scholares regendos habuisse. Hegius, Synthemius, Murmellius, Torrentinus non minus quam nonaginta habuerunt.

De disciplina.

Ex tantis scholarium gregibus patet quam facillime ortas fuisse seditiones adversus rectorem aut pædagogos, vel rixas cum civibus, nisi firmis disciplinæ legibus pueri fuissent coerciti. Quæ apud Fratres immitis erat, imo aliquandiu ad sævitiam asceticam deducta. Exemplo sit alumnus iste, paucis tantum diebus collegio receptus, quem rector Florentius colapho affecit, nulla alia causa quam ut eum humilitati assuefaceret. At saltem, hæc digna Romanis ducibus disciplina omnibus æqualiter adhibebatur : divitibus ac pauperibus, liberis optimatum atque opificum. Joannem Celium sic ea fertur usum fuisse : « Tunc, aït J. Buschius, scholares Zwollenses in bona » fuerunt custodia et optima disciplina. Nec aliquando, » sine licentia, a scholis abesse permisit J. Celius, et de- » linquentibus pœnam pecuniariam non imposuit, sed » juxta personæ qualitatem, excessuum quantitatem et

» culpæ modum singulos cædi jussit. — Scholares vero » trufatores[1] nolebat admittere; unde hic versus, in » magna textura[2] pergamena conscriptos affigi jussit. »

Qui domicellari vult, nec par esse scholari
Ille domi maneat et domicellus eat[3]!

Aliæ pœnæ erant frustratio ciborum, si quis opus non peregisset, et carcer.

Vetus adagium est : « Corruptio optimi pessima, » cujus veritatem experti sunt Fratres. Postquam enim obierant Radevinius, Celius, Herxenius, sapientissimi eorum sodalitii legislatores, obliti sinceræ puerorum reverentiæ quo instincti fuerant illi, abusi sunt plagis, minis, verberibus et ad extremum adhibuerunt perperam istam asceticæ disciplinæ methodum. Inde ira Erasmi in verbis suprascriptis : « Horum (scribit de Fratribus) præcipuum studium est, » ut, si quem puerum viderint indole generosiore aut ala- » criore, eum plagis, minis, objurgationibus frangant ac » dejiciant, id appellant *cicurare* vitæque monasticæ fin- » gant. »

His quidem verbis alludit princeps ille scriptorum ætatis renovatæ molestiis et injuriis, quibus in monasterio « Steyn » apud Goudam, afflictus erat, quum tutores ejus ipsum ad vitam monasticam compellere vellent; sed tales coercendi rationes non pertinent ad prosperam Fratrum ætatem, nec credendum est eas ubique fuisse usitatas, testibus Jodoco Badio, Thoma, multisque aliis Fratrum alumnis. Disciplina, quod ad mores studiaque attinet, exercebatur a decurionibus, sub aüctoritate rectoris. Monitores

[1] Du Cange : *Trufator* : dolosus, fallax.
[2] *Ibidem. Textura* : litteræ grandes vel maximæ.
[3] *Ibidem. Domicellus :* adolescens filius nobilis viri, in vetere gallico sermone *damoiseau*.

illi maximam partem obtinebant in gerendis collegiis; adjumento erant simul rectori et magistris classes regentibus; constat, ut diximus, pluribus eorum postea data fuisse loca inferiora, quæ regerent. Quorum officium in Leodiensi schola a J. Sturmio, quondam hujus alumno, describitur his verbis :

« Inter quos (adolescentes) unus ordine constituebatur, » qui mores observaret et annotaret, quoties quis erraret, » id rectori indicabat, qui pro magnitudine delictorum » pœnam moderabatur. Si ille decurio, qui singulis heb- » domadibus novus instituebatur, neminem notaret et » negligens esset, dabat ille pœnas pro cæteris[1]. »

At, ne credas Hieronymitas, Orbilii instar, segnia discipulorum ingenia terrore virgarum tantum excitasse: addere oportet mercedibus quoque illos usos fuisse, nec pepercisse muneribus erga studiosissimos. Quæ consistebant nempe ex pecunia pro scriptis libris data, vel libris, vel charta et calamis ; vel etiam « indulgentiis ». « Singulis » mensibus, refert idem Sturmius, singuli nummos conferebant, quibus liber aut ejusmodi aliquid emebatur quod ei » tribuebatur, qui minus deliquisset, qui melius lectiones » repetiisset, qui composuisset elegantius ; de quibus rebus » ejus ordinis magister judicabat. » Sed, præter has mercedes, quotannis tempore promotionum, præmia decernebantur optimis a rectore domus, cui collegium suppositum erat.

De promotionibus.

Promotiones vocabant progressus discentium ad loca superiora, qui fiebant quotannis Kalendis Octobribus, perac-

[1] J. Sturmius : *Consilium curatoribus scholarum Argentinensium* in Appendice.

tis probationibus. Quantum commodius erat tempus horum certaminum, quam nostra ætate, medio Caniculæ æstu ! « Solent enim, ut merito aït Sturmius, languere animi » atque remitti studia per calores. Sed illa censura, quæ » instabat ad Kalendas Octobres, excitabat eos, ut quis- » que se præpararet ad futuras disputationes, ut par esset » lacessendo et defendendo. Deinde, quoniam hiems proxi- » ma est, ut tædium auferatur hiemalis molestiæ, malue- » runt ibi initia fieri, quæ majora plerumque studia solent » excitare, quam media atque exitus. »

« Hoc autem modo promovebantur Scholares. A magis- » tro, in locis singulis, ordine constituebantur, prout doc- » trina præcellebant ; sed, cum ille peccare posset errore » aut præjudicio, fas erat postpositis provocare ad publi- » cum rectoris et magistrorum judicium. Ergo contende- » bat inferior quilibet cum superiore condiscipulo, propo- » sito themate, stilo aut dictione subita, aut simili discep- » tatione. Si vinceret inferior in hoc singulari certamine, » fiebat honoris commutatio , quæ quidem gloriosissima » victori, victo vero turpissima videbatur. Præterea, pri- » mus et secundus in illo transitu cujusque ordinis, mu- » nera consequebantur a cœnobio Fratrum proposita. » Meliora erant præmia primo quam secundo attributa, ita » ut, si primo darentur Virgilii opera omnia, donarentur » secundo tantum Georgica. Sed si secundus cum primo » contenderet et par esset, fiebant paria præmia [1]. » Nonnunquam etiam munera tribuebantur a Magistratibus civitatis scholaribus qui, in fabula peragenda aut aliis ludis celebrandis, de civitate bene meriti erant [2].

[1] J. Sturmius : in Opere citato.

[2] Daventriæ, Silvælucis et Trajecti, discipuli Fratrum egerè ludos liturgicos (Paquot, XII, 207) ; Leodienses autem protulerunt diversas Terentii fabulas (Schmidt, *Sturm.*, 1855).

De ratione studiorum.

Ad intelligendam veram docendi rationem ab Hieronymitis adhibitam, quam primum meminisse oportet legis illius a Gerardo Magno discipulis suis statutæ : « Radix » studii et speculum vitæ sint : primum Evangelium » Christi, quia ibi est vita Christi ; deinde vitæ et colla- » tiones Patrum ; postea Epistolæ Pauli et canonicæ, et » Actus Apostolorum ; denique libri devoti, ut Meditationes » Bernardi et Anselmi Horologium[1]. » Eodem tenore, Fratribus propositum fuit, in pueris educandis, non quæstum facere, ut maligne dicit Erasmus ; sed, despectis Scholasticorum doctorum cavillationibus et flagitiis monachorum vitandis, corda ad Evangelium, mentes ad humaniores scriptores, mores ad exemplar Apostolorum revocare.

Festis igitur diebus, bis legebant scholares in sacris libris, singuli in suo ordine ; semel ante, semel etiam post prandium. De Celio, nempe, rectore ludi Zwollensis narrat J. Buschius : « Non minorem exercuit sollicitudinem, ut » etiam in Scripturis divinis, moribus bonis et honestis, » vita sancta et christiana, timore Dei similiter profice- » rent, dies maxime festivos in hoc ipsum expendens. » Illis exponebat Epistolam diei, Evangelium et notabilia » quædam dicta sanctorum, singulis ad sua *rapiaria*[2] » cuncta scribentibus. Unde Epistolas et Evangelia, in fes- » tis per annum occurrentia, omnes habere voluit et rapia- » rium theologicum, quo nucleum Scripturæ sacræ bre- » vibus in verbis colligerent[3]. » Qua ratione acutior fiebat meditatio rerum, tenaciorque memoria. Post meridiem

[1] Gerardus Magnus : *De Sacris libris studendis.*

[2] Rapiarium erat libellus in quo excerpta notabantur.

[3] J. Buschius : *Chronicon Windesemense.*

quoque transibant magistri cum pueris ad publicas illas conciones, vulgari sermone habitas, quæ tantum ad promovendam Scripturæ cognitionem contulerunt et quibus Hieronymitæ adeo populi gratiam adepti sunt, ut « Fratres collationarii » appellarentur. Gerardus Magnus enim, a principio, hortatus erat discipulos, ut « nullum Scripturæ » vocabulum ante pronuntiarent, quam sensus clare intel- » ligeretur ». Præterea discebant alumni cantum hymnorum, in quibus componendis præstiterunt Joannes Shutkenius et Thomas a Kempis.

Dies Jovis, qui remissionibus plerumque reservatus erat, non omnino vacabat prælectionibus ; sed id ex rectoris arbitratu pendebat.

Omnes autem profesti dies occupabantur, a quinta hora ad meridiem, scribendis libris, et post meridiem ad nonam, studio scholasticarum artium.

Hæ inprimis ex « trivio » consistebant, cui Florentius addiderat latinos græcosque scriptores, et Gerardus Zerboltus studium nederlandicæ linguæ. Non meliorem opinionem de partitione disciplinarum in scholis Vitæ Communis habere possis quam si rationem studiorum inspexeris, quæ in Leodiensi collegio, teste Sturmio, servabatur. Quam ergo, extrema parte hujusce operis, in extenso exponam [1].

Ex hac tabula constat, quam minima pars temporis tributa esset artibus quæ « quadrivium » componebant ; nam Euclidis geometriam non ante docebantur pueri, quam in secundo loco et musica non colebatur nisi festis diebus,

[1] Vide *Consilium J. Sturmii, curatoribus scholarum Argentinensium propositum* in Appendice. Quod auctor explicavit, latiusque de officiis parentum, magistrorum et scholarium disseruit in libro, cui nomen est : *De literarum ludis recte aperiendis Argentorati,* apud Wendelum Rihelium. MDXXXVIII. In 12°.

tantumque ad cantum ecclesiasticum ediscendum. Rursus, pars aliqua dabatur philosophiæ et legum studio.

At, incipiente XVI° sæculo, huic defectui remedium afferre conati sunt Fratres, introducendis in rationem studiorum disciplinis, quæ desiderabantur et quibus nostra ætate nomen « Scientiæ » peculiariter reservatur. Hendricus A Bommel, rector ludi Trajectensis, et Lambertus Hortensius docuerunt historiam in hac schola, gestaque Batavorum conscripserunt. Eodem tenore, H. Torrentinus, magister Groningensis scholæ, composuit *Elucidarium, vel Vocabularium poeticum, continens historias, provincias, urbes, insulas, fluvios et montes illustres* (MD), in quo melius historiæ compendium invenies, quam bene comptum poema. Paulo post, edidit C. Valerius (Cornelis Wouters) *Brevia quædam de Geographia præcepta, maxime necessaria* (*MDXXVI*); *Librum utilissimum de rudimentis Sphæræ* (*MDLXII*) *et Physicam* (MDLXVII). His libris in vulgum emissis Fratres explebant numerum disciplinarum ad adeundum Studium generale cognitu necessariarum.

De libris in collegiis Fratrum vitæ communis usitatis.

Inde venimus ad libros, quibus Fratres utebantur ad edocendas artes et quorum plerique ab ipsis seu conscripti, seu correcti et annotationibus ornati, seu typis mandati fuere. Ad legendum et scribendum — quæ exercitationes fere dimidiam diei partem occupabant, — solebant Hieronymitæ adhibere excerpta ex Evangeliis aut Patrum collationibus, vel etiam selectas sententias ex scriptis Gerardi Magni, Florentii, Diderici Ab Herxen, aliisque Sodalitii institutoribus. Nec eorum intererat multa scribere, vel legere; sed clara voce et secundum rhythmum pronuntiare, pul-

chros et distinctos characteres formare, et inprimis multa de lectis vel scriptis cogitare, ita ut possint discipuli sententias illustrissimas in « rapiariis » notare.

Quod latinam linguam attinet, primas partes in collegiis diu obtinuit, seclusa prima Sodalitii ætate lingua vernacula, ita ut, si quis hac uteretur, mulcta afficeretur. Ecce libri isti in usu erant : *Donati*[1] et *Prisciani grammaticæ*, *Doctrinale puerorum ab Alexandro de Villa Dei*[2] *conscriptum*, *Græcismus Ebrardi Bethuniensis*[3], id erat grammatica latina versibus conscripta, quæ græcorum verborum significationem dabat ; *Disticha Joannis Garlandini*, seu *Libellus de diversis nominibus notitia metrice compilatus ;* et sine dubio *Disticha Catonis* quoque, quo celebrius in Medio Ævo nullum compendium erat ad moralia docenda.

Hæc quidem erat, Erasmo teste, ratio docendi : legebatur a scholari quodam locus aliquis supra dictorum librorum, postea a magistro prolixis enarrabatur commentariis, deinde memoria traditus erat. Roterodamus vero noster non æquus est erga Fratres, quum addit : « A. Hegius et Zinthius cœperant aliquid melioris literaturæ invehere. » Nempe, non Synthemius[4] modo, sed H. Buschius[5], Massæus, Murmellius[6], Torrentinus aliique plurimi eorum magistri novas veterum grammaticarum editiones in lucem protulerunt, quibus conati sunt eas elucidare et emendare.

[1] Parisiis, apud R. Stephanum, MDXLIII.

[2] Coloniæ, MDVI. Cf. aliæ librorum editiones in libro dicto *Répertoire des ouvrages pédagogiques du* XVI[e] *siècle*. Paris, 1886 (Musée Pédagogique).

[3] Rothomagi, MD.

[4] J. Synthemii *Glosa super prima et secunda parte Doctrinalis Alexandri* : Daventriæ in 4°, circa MCCCCLXXXVIII.

[5] H. Buschius : *Donati commentarium de VIII partibus sermonis.*

[6] *Opus de compositione verborum* (Daventriæ, circa MDII) — *Grammaticæ regulæ* (Lipsiæ, MDXVIII).

Alii autem initium fecerunt in græca lingua docenda, teste libro cui titulus est : *Conjugationes verborum Græcæ*, et qui circa A^um MCCCCLXXX typis fuit mandatus. Sed in tanta apud plerosque doctores ætatis hujus reverentia erant veteres illi grammatici, ut reformatores nostri accusati fuerint hæreticæ temeritatis et non parum obfuit quin tanquam sacrilegi damnati essent. Despauterio [1] tamen, uni ex Sodalitii magistris, contigit decus novam latinæ linguæ grammaticam conscribendi, quæ a synodo Machliniensi (circa MD) approbata et in omnibus Nederlandiæ scholis loco *Doctrinalis* Alexandri subrogata fuit.

De libris a fratribus typis mandatis.

Huic felici eventui non parum contulit ars mirifica a Gutenbergo inventa et qua Hieronymitæ Nederlandiæ festinantes usi sunt. Quam Fratribus videtur fuisse traditam, per sodales Monasterii Vallis S^ti Martini (in Leodiensi diœcesi), qui eamdem a cœnobialibus Vallis S^tæ Mariæ, prope Moguntium acceperant ; a prioribus enim fertur « Martinenses, cum typographia adinventa esset, exemplo aliorum Regularium quædam typis exprimere conatos esse; sed eo quod dispendium facerent, mox ab impressione cessavisse [2] ». Sed primi quibus res successit fuere Fratres domus Bruxellensis ; ii enim propriis expensis ediderunt primos in Belgica impressos libros, scilicet : « *Summam collationum ad omne genus hominum* » (MCCCCLXXII) ; *Epistolam Gregorii et Arnoldi de Geilhoven*, « *Gnotosolitos* », *sive speculum conscientiæ* (MCCCCLXXVI) [3]. Inde,

[1] J. Despauterius : *Rudimenta in III partes divisa*. Lugduni, MDLXIII.
[2] J. Molanus : *Chronicon Lovaniense* (manuscriptum).
[3] Lambinet : *Recherches sur l'Origine de l'Imprimerie*, Bruxelles, An VII.

non multo post Hieronymitæ artem vulgaverunt Lovanium, Daventriam, Goudam, Buscoducum, Schoonhoviam. In qua Daventrienses et Goudenses inprimis eminuerunt, nempe Alex. Hegius, studiosissimus novarum artium, arcessiverat in priorem urbem Ricardum Paffraetum, a Colonia ; paulo post alter successit magister hujus artis, adeo ut ambo ad MD annum plus quam quadringentos et quinquaginta libros, plerumque ad usum scholarium ediderint [1]. Goudenses quoque *Exercitium puerorum grammaticale* (MCCCCLXXXVI) et Buscoducenses *Leges Scholæ Silvæducis* (MDCIII) typis mandavere. Sed, proh dolor ! cum veterum scripta vel scholasticos libros ita multiplicarent Fratres Vitæ Communis, non reputabant se paulatim propriam scribendi artem inutilem effecturos et, suis manibus, quondam exitium Sodalitii paraturos esse !

[1] Campbell : *Annales de la Typographie Néerlandaise*, La Haye, 1874, in-8°.

CONCLUSIO

QUOMODO FRATRES VITÆ COMMUNIS SCHOLASTICAM ARTEM, STUDIUM LITERARUM ET PIETATEM CHRISTIANAM AD MELIOREM STATUM REVOCAVERINT.

« Concordia res parvæ crescunt [1], » hanc naturæ legem, quæ in historia gentium tam sæpe comprobata fuit, illustravit sors Fratrum Vitæ Communis. Nihil humilius, ut vidimus, quam origo illorum sodalitii, utpote quod exortum sit ex nonnullis scribis « bonæ voluntatis », convenientibus ad quæstus sui laboris in commune conferendos et pauperes scholares hospitio recipiendos fovendosque pietate. Sed tali incepto adeo favebant tempora illa, quibus plerique clerici ignorantia et flagitiis torpescebant; hoc adeo in votis erat piorum Nederlandiæ civium, ut sodalitium a Gerardo Magno institutum celeriter increverit atque, per omnes Bataviæ, Flandriæ, Westphaliæ, Saxoniæque provincias manaverit.

Quum autem præstantiam talis ad religionem pertinentis societatis, non tantum ex propagatis per magnam Europæ partem collegiis vel ex fama magistrorum vel alumnorum

[1] Sallustius : In *Bello Jugurthino*.

gloria agnoscere liceat, sed inprimis ex emendatis clientium moribus et excitato animorum fervore; nobis est nunc inquirendum, quantopere Hieronymitæ, sequentibus sæculis, contulerint ad meliorem pueritiæ institutionem, ad restituendum cultum veterum scriptorum, tandem ad mores pietatemque christianam reformandos.

Studenti historiæ scholarum Medii Ævi occurrunt frequenter itinera docentium. Perambulabant enim magistri plerique ex alia in aliam urbem, prout trahebantur pluribus audientibus, vel præsertim ditioribus Minervalibus; imo aliqui non amplius sex mensibus in eodem ludo permanebant! Ista nimium frequens docentium permutatio familiari eorum rei magis proderat, quam doctrinæ studentium, qui lectionum intermissione graviter laborabant. Primam igitur legem tulerunt Fratres suis collegiis : magistros quam diutissime in officio esse permansuros; qui adstricti fuere non modo majore numero discipulorum, sed præsertim studio erga eosdem, communisque domus amore. Magistri autem erant accuratissime delecti non ex eruditissimis, sed ex his qui ad docendum magis essent idonei. Præsertim curabant, ut hi essent viri boni et sincera erga Deum pietate instincti, ad exemplum honestæ vitæ discipulis præbendum, quam primam institutionis puerilis legem esse arbitror.

Quantum præstantia magistrorum, hoc tantum secundos reddidit exitus collegiis Vitæ Communis, quod pauperes pueri nulla mercede ibi docerentur; imo, charta, pennæ aliaque munuscula iis donarentur. Hanc liberalitatem grato memorant animo plurimi illorum discipuli, inter quos Badii Ascensii, J. Buschii, Murmellii, Thomæ a Kempis testimonia memoravimus. In quo Fratres meminerant præcepti Jesu Christi : « Gratuito accepistis : ergo gratuito date ! »

Munuscula illa, singulis mensibus distributa, non minus conferebant, ad firmandam disciplinam quam virgæ ; quantum enim erga pigros rebellesque aspere sæviebant, tantum studiosos discipulos ad bonas artes diligenter acuebant. Supra exposuimus quas pœnas adhiberent et quomodo, exeunte xv° sæculo, in sævitiam asceticam delapsi essent, at saltem prædictæ castigationes pares erant omnibus et meliora mulctis pensisque mihi videntur.

Disciplinæ favebat quoque divisio locorum et decuriarum, in quo maxime profecisse Fratres arbitror, quod ad artem scholasticam attinet. Scholæ enim, quæ ante sodalitium Vitæ Communis erant conditæ, dividebantur in duas solum partes : unam in qua trivium, alteram vero in qua quadrivium docebatur ; et, magistris deficientibus, partes in turmas scindebantur, quibus lectores vel monitores præerant. Ita ut uni ludo sæpe inessent scholares, qui vix poterant legere, non quidem scribere, et quorum ignorantia progressus superiorum impediebat.

Fratres itaque primi instituerunt dispositionem scholarium, pro ratione cujusque doctrinæ, alumnosque in duos ordines diviserunt : « Grammaticos » quidem, alteros vero « Humanioribus » studiis addictos. Unde orti sunt et utilis æmulatio et velocior discentium ad superiora loca progressus. Nec expertes erant Hieronymitæ artis se invicem docendi, quippe qui classes, quæ ad elementa literarum spectabant, optimis scholaribus ex primo loco regendas darent. Satis ea sint quod ad docentes discentesque attinet ; nunc videndum est, quæ fuerint incrementa disciplinarum a Fratribus effecta.

Quum scholares tamdiu insudavissent fastidiosis latinæ linguæ grammaticis, ab Ebrardo vel Alexandro de Villa Dei conscriptis, plures inchoaverunt magistri, nec infimi

collegiorum Vitæ Communis, eas emendatiores simplicioresque reddere. Quin etiam, contigit Despauterio novam componere methodicem, quæ omnibus Nederlandiæ scholis a Synodo imposita fuit et in gallicis collegiis usque ad XVII^um^ sæculum viguit[1]. Qua usi sunt J. G. Scaliger[2] et F. Sanctius[3] ad opera sua de latino sermone conficienda.

Præterea cœperunt, Zerbolto duce, linguam vulgarem adhuc a clericis omnino spretam docere et, in locis superioribus, elementa græcæ linguæ, in qua A. Hegius, Macropedius et Sturmius periti sunt facti. Denique summam disciplinarum perfecerunt docendis historia geographiaque, physica et naturali philosophia, quæ antea scholaribus fere ignota erant. Sic illorum curis coaluerunt rami illi arboris scientiæ, qui pertinent ad res gestas, ad orbem terrarum, et ad rerum naturam.

Ex his omnibus mihi constare videtur — etsi negavit K. Hirschius, — Fratres Vitæ Communis multa nova in artem scholasticam attulisse, illosque non tam famulos quam præcursores et socios fuisse Restitutorum veterum in xv° sæculo literarum. Si tamen non contentus esses his argumentis, citarem in testimonium nomina J. Celii, A. Hegii, J. Synthii, J. Standonki, J. Sturmii qui inter peritissimos pueritiæ instituendæ magistros claruerunt, Nicolaï a Cusa grati horum discipuli, vel etiam D. Erasmi, etsi laudes Hegio Synthioque datas suis censuris contra disciplinæ sævitiam temperaverit.

Humiles illi magistri, non solum in docendis, sed in fo-

[1] Thurot : *Histoire des doctrines grammaticales*, Paris, 1869. Paquot : *Mémoires pour servir à l'Histoire littéraire des Pays-Bas*, Louvain, 1753-70. Cf. Molière : *La Comtesse d'Escarbagnas*.

[2] *De causis linguæ latinæ*, Libri XIII, Lugduni, 1540.

[3] *Veræ brevesque grammaticæ latinæ Institutiones*. Salamanticæ, 1576.

vendis quocumque modo liberalibus artibus eminuere, utpote qui, duplici Gerardi Magni lege innisi, magnopere contulerint ad studium antiquarum literarum promovendum, divulgandis optimis Sacræ Scripturæ, Patrum Ecclesiæ, vel etiam latinorum scriptorum, aut græcorum librorum translationum exemplaribus ; condendis bibliothecis, in quibus ea servarent compaginarentque ; tandem, exeunte XV° sæculo, typographica præla constituendo. Quum enim, ex fundatoris præceptis, aliquot millia Fratrum in exscribendis Bibliæ, Patrum, profanorumque scriptorum exemplaribus, dies noctesque incubuissent, optima illa Veterum opera, quæ adhuc tanti venibant pretii, quia erant rarissima, hac multiplicatione viliora facta sunt, nec opibus egentiorum scholarium imparia manserunt. Ceterum, sodalitium Vitæ Communis ab institutore suo imbutum fuerat amore librorum colligendorum. Nempe, collegio, quod Daventriam obtinebat, propriam bibliothecam, rarissimis abundantem libris, Gerardus legaverat, ea quidem conditione : « ut tres semper Fratres ad » libros servandos remanerent, eosque liberaliter commo- » darent [1]. » Quibus, paulo post, accesserunt libri magistri Florentii et Joannis a Gouda, et, sequenti sæculo, plurima ex libris doctissimi cardinalis Nicolaï a Cusa, Hegio curante, transcripta Veterum exemplaria; ita ut bibliotheca Fratrum Daventriensium, omnibus in Germania tam inferiore quam superiore diu præstiterit [2]. Similes quoque, non admodum exiguæ, exstiterunt in Fratrum vel Canonicorum domibus Windesemii, Trajecti ad Rhenum, Lovanii, Goudæ, Silvæducis, etc.

Quemadmodum ex tenui flamma, si aptæ applicatur ma-

[1] Thomas a Kempis : *Vita Gerardi Magni.*

[2] Plura illorum manuscripta in hodierna civitatis Daventriensis bibliotheca adhuc servata fuere.

teriæ, ingens excandescit ignis, ita ad numerosa illa pauperum collegia, ad domus illas ditiores libris virtutibusque quam nummis sacrisque ornamentis, magnus factus est eruditorum et humaniorum studiorum fautorum concursus. Sic, ex luce minima, major lux orta est! Inter hos non omittendi sunt Rodolphus Agricola [1], princeps ille oratorum et scriptorum novæ ætatis, a quo Hegius noster fatetur tam multa didicisse; Rod. Langius, disertus quoque latini sermonis cultor; magister et poeta Murmellius et Wesselus ille, in theologia et literis simul peritissimus, qui a discipulis « Lux mundi » non immerito vocatus fuit. Illis suadentibus, Hieronymitæ ante oculos scholarium posuere non solum excerpta ex Platonis et Ciceronis operibus, sed veras græcorum scriptorum translationes, optimasque latinorum scripturas; scilicet opera Platonis, et Hesiodi, Æsopique fabulas quod ad priores attinet; atque Ciceronis et Virgilii, Senecæ, Boethii, Persii, Prudentii, non omissis comœdiis Plauti Terentiique. Mirabile dictu! Murmellius, Hegius, inclytusque ejus amicus Agricola, latinas Camœnas non sine decore coluerunt, viamque aperuerunt trecentis illis poetis latinis, quibus gloriatur Nederlandia! Imo, arte typographica inventa, quam primum intellexere Fratres, quanto sibi auxilio ad erudiendos pueros futura esset; magistros hujus artis ad sua collegia arcessiverunt foveruntque omni præsidio; et tandem, cum arcana illis eruerint, editiones veterum scriptorum ad usum scholarum ipsi vulgavere.

Sed, nostra quidem sententia, hoc illis maximo est decori, quod hominum mores pietatemque, per multas ætates, in melius mutaverint, eoque viam aperuerint

[1] A. Bossert : *De Rod. Agricola Frisio, Litterarum in Germania restitutore. Parisiis*, 1865. In-8°.

Reformatoribus Ecclesiæ in XVI° sæculo. « Scholas te- » nent et non tantum literas, sed et mores quoque suos » discipulos et bene vivere docent », non immerito de Fratibus Vitæ Communis dixit Massæus. Exposuimus nempe quibus rationibus disciplinam scholarium, tunc temporis ubique eversam, restituissent. At vitiis èt stultitiæ studentium melius remedium afferre solebant virgis et carcere (etsi istud non omittebant), scilicet : mutua delictorum confessione, cujus privilegium a summo Romanæ Ecclesiæ pontifice acceperant et labore manuum. Is autem qui, ut vidimus, constabat inprimis scribendis vel compaginandis libris, occupabat plus quam dimidium temporis et non sine mercede agebatur.

Quid autem profuisset optima morum regula, sine sincera fide ? Fratres nempe, in locum leguleiæ nimiumque ritibus addictæ religionis, quæ a Scholasticis doctoribus commendata erat, intulerunt in sua collegia novum pietatis genus, vel, ut illorum verba mutuemur, « modernam devotionem », quæ ex puro corde et bonarum literarum cultu, Sacræque Scripturæ studio nascitur. Ad instar magistri Gerardi Magni et Florentii Radevinii, corda revocaverunt ad scaturientem fontem omnis veræ erga Deum pietatis, scilicet Evangelium Christi, Patrumque Ecclesiæ scripta; atque in pectore discipulorum spem melioris futuri foverunt, et collationibus et cantandis carminibus renascente fide instinctis. Quibus modis Christiana religio, apud illos, interior proniorque ad bene agendum facta est.

Ad summam, quum in arte pædagogica, tum in refovendo Scripturæ Sacræ veterumque literarum studio, bene meriti sunt Fratres Vitæ Communis de literarum republica; illis gloria contigit multa celeberrimaque collegia, in magna Europæ parte, instituisse, quæ Renovationem liberalium artium in XV° et XVI° sæculo præparaverunt, et præser-

tim « pietatem hanc literatam » creavisse, quibus, posterioribus temporibus, inclaruerunt insignes illi magistri quorum nomina sunt : Thomas a Kempis et Melanchthon, Gersonius et Rollinus nostri!

FINIS.

APPENDIX

CONSILIUM JOANNIS STURMII

CURATORIBUS SCHOLARUM ARGENTORATI PROPOSITUM [1]

(VI die Kal. Mart. MDXXXVIII.)

Ludos literarum uno loco comprehendi utilius est quam varie distrahi. Ut enim ineptum esset decem ovibus singulos magistros singulaque pascua assignare, si unus locus, unum pascuum sit satis : sic etiam non laudabile est, quod ab uno aut a paucis fieri potest eodemque in loco idem distrahere atque compluribus committere.

Quanquam in ovibus illud utile est, in hominibus prope necessarium, ut multitudo atque varietas compararetur, quorum alterum imitationem excitat, alterum adfert voluptatem. Nam quod ab omnibus aut a multis laudatur, ad id inflammari homines solent, et varietas studiorum tædium plerumque aufert.

Hanc ego causam etiam esse puto, quod in sua Republica Xenophon Persarum illam ἐλευθέραν ἀγορὰν uno in loco coædificatam scribit, semotam a turba atque strepitu. Debet enim hæc ratio habere εὐκοσμίαν καὶ συζήτησιν καὶ συμφερτὴν ἀρετήν, ut ordine atque modo omnia fiant, ut communia studia atque

[1] St-Thomas, Archiv. Univ. (I. 1.)

conjunctæ vires quasi uno aspectu appareant. Hinc est quod Persarum tametsi distributæ essent illæ χῶραι de quibus Xenophon, tamen in iisdem substructionibus versabantur παῖδες, ἔφηβοι, τέλειοι, ἄνδρες καὶ οἱ ὑπὲρ τὰ στρατεύσιμα ἔτη γεγονότες. In cœtu enim et frequentia maiora exempla et plura ad excitandum et maiores ad discendum occasiones exhibentur. At Socrates hac de causa apud Platonem in Phædro solitudinem improbat, cum ait : τὰ μὲν οὖν χωρία καὶ τὰ δένδρα οὐδὲν θέλει με διδάσκειν, ἀλλ' ἐν τῷ ἄστει ἄνθρωποι. Itaque nisi multitudo tanta sit, ut locus unus non satis sit, utilius est coacta esse quam dissipata studia. Leodii, Daventriæ, Zuollæ, Vuasaliæ literarum exercitationes [*habent*], eisque unum assignatum locum, distributum suis ordinibus, atque ex illis ludis feliciora et plura plerumque prodeunt ingenia quam ex vicinis, ut vocant, Academiis. Sæpe fit ut qui ibi docte et pie informati sint, in illis artificum maiorum gymnasiis corrumpantur. Quod vero frequentia magnam vim adferat, inde colligi potest. Lutetiæ, quoniam maxime et varie studiorum turba confluit, multa instituta sunt collegia. Sed tamen inter hæc ipsa in quibus raritas est, infeliciores exercitationes et minores progressus fiunt. Ut autem quodque frequentissimum est, ita etiam doctiores habet discipulos. Etenim et magistri et auditores copia excitantur, languescunt solitudine. Sed illa multitudo collegiorum obest, propterea quod qui cum civibus habitant, non unum in locum conveniunt, neque ad omnes horas adstringuntur, suo ingenio obtemperantes, quod optimum est, non sequuntur.

Leodii cum essem, dissensio orta erat inter magistros, et quidam separatim docere instituerunt, quibus si successissent consilia, perditum esset illud Hieronymitanum Gymnasium! Nam cum quisque pro se allicere adolescentes studeret, non quod optimum esset, sed quod maxime placeret, legerunt et auditorum magis stomacho quam rationi obtemperabant. Etiam qui illam præperperam interpretationem gravium rerum vituperabant, tamen cogebantur inservire temporibus, ad retinendam adolescentiam. Illa dissensio studia dissipabat, ordinem lectionum invertebat, impediebat omnes profectus. Sed cum detrimenta palam

animadverterentur, restituta est pristina illa ratio. Quæ cum optima est, ad hunc modum solet esse instituta.

1. Totus grex in octo ordines est distributus. Primus ordo eos continebat, qui legere, characteres formare, et nomina verbaque flectere discebant, hic ibi locus octavus vocabatur.

2. Septimus ordo illos habuit, qui in verborum coniunctione instituebantur, quibus diligentior ratio dictabatur inflectendi verba, quibus ex poëtis et oratoribus aliqua ad intelligendum facilia proponebantur, quorum senteniæ resolvebantur et singulorum [1] vis aperte et familiariter explicabatur, eaque rursum in aliis sententiis conjungebantur, ut quasi via patefieret ad compositionem.

3. In sexto certa hora destinata erat grammaticis præceptis : qua non nova adferebantur, sed retinebantur ea quæ antea didicerant et quædam addebantur, quæ tamem necesse erat discere, in septimo vero ordine fuissent intempestiva. Diligentior hic instituebatur explicatio scriptorum et scribendo exercebantur, sed familiaribus argumentis atque soluta, ut vocabant, oratione, deinde etiam versus ad certos præscriptos modos canebant et horum rationem incipiebant addiscere.

4. In quinto repetebantur grammaticæ regulæ, quas ante didicerant atque habita eorum auctorum ratione, quos antea didicerant, novos addebant et historici exponebantur, et stilus informabatur politius, et maior in faciendis carminibus consuetudo, et quædam græcæ grammaticæ proponebantur præcepta.

5. In quarto grammaticam græcam diligentius tradebant, Præcepta dialectica et rhetorica instituebantur, quæ in quinta classe solum indicabantur. Neque stilum solum exercebant pueri, sed post cogitationem, atque commentationem, pronunciabant aliquid, quod pro declamatione habebatur. Quæ vero eiusmodi ratio esse debeat, præscribi seorsum debet.

6. In tertio recognoscebantur præcepta dialectica atque rhetorica. Postea Græci et oratores græci explicabantur. Neque in Latinis solum, verum etiam in Græcis stilum

[1] Qui vero hæc fieri debeant, seorsum est agendum (*adnot. in margine*).

exercebant, diligentiore animadversione et accuratiore imitatione. Hic etiam ratio imitandi indicanda et certa consuetudo exercendi præscribenda est.

7. In secundo organum Aristotelicum explicabatur. Præcepta rhetorica absolvebantur. Legebatur Plato, Euclides, Jura, fiebant declamationes.

8. Primus Theologiæ diligentiorem interpretationem habebat. Quæstionibus propositis, disputationes instituebat. Sed coniungebantur cum primis hi qui in secundo versabantur. Sex primi ordines singulos doctores habere debent, in secundo atque primo utilius est esse plures, propter varietatem atque difficultatem rerum, quibus omnibus non unius industria sufficit. Et Platonis temporibus antequam ad Academiam veniebatur, audiverant Mathematicos. Unde constat Mathematicos docuisse separatim. Constat etiam ex lib. I de Oratore, quod Carneades, Clitomachus, Æschines simul Academiam obtinebant. Et Crassus libro tertio significat singulos in singulis artibus consenuisse. Aliud enim est tradere et docere, et aliud dicere : ordine omnia disci possunt, sed non unus simul omnia potest docere.

Illud maxime cavendum est, ut eadem præcepta, grammatica, dialectica, rhetorica retineantur. Nihil perniciosius quam in his mutationem fieri. Quare etiam illa dialectica precepta et rhetorica ita in quarto et tertio ordine tradi debent, ut aditus fiat ad secundum, et ad Aristotelem, ut ibi non sit opus aut dediscere aut commutare aliqua quæ ante sint cognita.

Festis diebus etiam legebatur, sed in sacris, singuli in suis ordinibus, bis, semel ante prandium, semel etiam a prandio. Id ita fiebat, ut cum Magistris pueri ad publicas conciones transirent, erant enim illæ auscultationes continuatæ.

Dies Jovis non omnino vacuus erat lectionum ; sed id ex Rectoris pendebat arbitratu, de quo nunc dicendum est. Unus erat qui omnibus ordinibus prærat, qui præscribebat qui libri legendi essent, qui singulos ordines per decurias distribuebat, qui de doctrina puerorum iudicabat, qui animadvertebat in omnes. In his enim quatuor versabatur eius officium.

Nemo enim tam doctus est neque tantum usum consecutus, quin sæpe voluntatem suam magis sequatur quam iudicium. Sæpe fiebat ut posteriores ordines antecedentium rationes in instituendo improbarint; hinc nova præcepta grammatica, dialectica, rhetorica colligebantur, et novo atque superfluo obruebantur ingenia labore. Aliqui etiam, antequam pueri fastidiebant diuturnam moram in eodem libro, ideoque antequam absolveretur, rejiciebant. Erant etiam qui ut suis studiis consulerent, vel ut doctrinam ampliorem venditarent, scriptores illi ætati non idoneos interpretabantur. Aliqui etiam eiusmodi legebant qui aut moribus oberant, aut pervertebant iudicia. Ad hæc igitur mala vitanda unus constitutus est, qui ceteris præsit, cuius iussu atque auctoritate lectiones, exercitationes, studia denique omnia imformabantur.

Leodii etiam, præses cœnobii Hieronymitani ipsumque cœnobium animadvertebat, si ab eo qui Rector vocabatur peccaretur. Multa enim homines solent facere cupide. Igitur utile est σχολαρχίαν eiusmodi esse, ut neque ex singulis neque ex uno omnia pendeant, sed distributa sit autoritas singulorum.

Prima igitur officii ratio in præscribendis auctoribus consumebatur, altera in decuriis distribuendis. Habebant enim singuli ordines ducentos et amplius adolescentes, qui deni aut octoni coniungebantur, inter quos unus ordine constituebatur, qui mores observabat et annotaret, quoties quis erraret, id Rectori indicabat, qui pro magnitudine delictorum pœnam modérabatur. Si ille decurio, qui singulis hebdomadibus novus constituebatur, neminem notaret et negligens esset, dabat ille poenas pro ceteris. Singulis etiam mensibus singuli singulos nummos conferebant, quibus liber aut eiusmodi aliquid emebatur, quod tribuebatur qui minus deliquisset, qui melius lectiones repetiisset, qui composuisset elegantius : de quibus rebus eius ordinis Magister iudicabat.

Tertium erat, ut de puerorum doctrina iudicaret. Singulis enim annis semel progressus ad proximos ordines fiunt. Hic in singulis ordine constituebatur ut doctrina præcellebant. Ea ordinatio a Magistro fiebat. Sed quoniam peccatur ab eo aut errore aut benevolentia, liberum erat inferioribus contra

superiorem contendere, proposito themate, stilo aut dictione subita, aut simili disceptatione. Si vinceret inferior, fiebat commutatio honoris et alter in alterius locum a rectore mittebatur, qui summus habebatur honos vincere adversarium, quemadmodum turpe erat, vinci et loco cedere. Primus vero in illo transitu et secundus munera consequebatur, a cœnobio Hieronymitano proposita. Sed meliora erant primi quam secundi ; ut si primo donaretur Virgilius integer, dabantur secundo tantum Georgica ; sed si secundus cum primo contenderet et par esset, fiebant paria præmia. Tempus autem ascendendi ad loca superiora erat Calendis octobribus atque id, mea quidem sententia, recte. Solent enim languere animi atque remitti studia per calores. Sed illa censura quæ instabat ad Cal. Oct. excitabat eos, ut quisque se præpararet ad futuras disputationes, ut par esset lacessendo defendendo. Deinde quoniam hiems proxima est, ut tædium auferatur hiemalis molestiæ, maluerunt ibi initia fieri, quæ maiora plerumque studia solent excitare, quam media atque exitus. Propter eos etiam illud tempus idoneum est, qui ex aliis civitatibus atque locis adveniunt ad discendum literas. Cum enim omnis migratio atque loci commutatio sanitati adversetur, si aër deterior accedatur, minus tamen periculi est hieme.

Qui vero libri in singulis ordinibus legendi sint, et quomodo explicandi, et quæ studiorum ratio in singulis ordinibus institui debeat, non huius loci est exponere. Requirit enim hæc res maiorem explicationem.

Hæc res mihi in hac urbe optime posse institui videtur : assignatis enim et constructis locis, non video, quid reliqui sumptus plus fieri debeat. Si enim ad Dominicanos coibitur, nihil in schola Sapidi est mutandum; sed ea dividenda est in tres ordines, in octavum, septimum et quintum. Suebelii enim iuvenes, qui doctiores sunt aut octavo aut septimo aut sexto adiungi poterunt pro eorum doctrina. Dasypodii pueri, quoniam doctiores, partim quartam et tertiam classem constituent, partim augebunt inferiores. Itaque sex primi ordines hoc modo erunt constituti. Septimus est publicarum lectionum, hoc est secundus ordo. Primus vero Theologiæ.

Qui vero præficiendi sint classibus, ubi et eruditio et dili-

gentia spectabitur, seorsum est deliberandum. Sed illius octavæ tribus audio aliquam esse difficultatem. Nam quoniam illa aetas adhuc imbecilla est, nolint fortasse aliqui cives propter suos liberos, procul posita esse gymnasia [1]. Quanquam alioquin pueris et labores et utilitates studiorum proponendæ essent, et perniciosa sit illa mollicies, tamen hoc modo succurreretur. Nam cum Dasypodius duos habeat hypodidascalos, maneat alter ubi est et doceat infantes. Sapidi manet in eodem loco, nam is illis est aptus. Suebelio saltem unus, qui ex Sapidi schola transferri poterit. Erit enim tum maior usus Simonis, qui uni ex maioribus classibus præficietur.

Etiam in Rectore constituendo non difficilis ratio erit, si illud solum retineatur, ex sex ordinibus privatarum lectionum non debere deligi, ne aut consensio fiat ad remissionem sæpius quam oporteat, aut calumniæ in privatis defensionibus oriantur, et, ut reliqua taceam, ut plus habeat auctoritatis illud officium : ita tamen ut ille subjectus sit σχολαρχῶν iudicio, ad quos querelæ per duos aut tres qui iam alioqui quater visitant quotannis deferri debent.

Non opus est ut plus numeretur, quam antea. Nam aut nihil dabitur Rectori, aut si aliquid dabitur, habebit tertiam partem eorum quæ hactenus pendi solent, quemadmodum ante hæc tertia pars cedebat hypodidascalo. Ceteri etiam nunc, qui docent, sunt comparati.

Si Senatus de triginta pauperibus aliquid statuat, videndum est ut diligens adhibeatur distributio, quæ studiis esse possit utilis et tuta.

Hæc institutio utilis erit civibus, liberalis erga vicinas civitates et gentes, necessaria posteris. Omnis enim Rerum public. spes sita est in illa puerili informatione. Neque video quomodo illa raritas studiorum, quæ per Germaniam est, vitari et tolli possit, nisi huiusmodi educatione primæ ætatis.

[1] *Adnotatio in margine :* Leodium audio maiorem quam Argentinam et tantum unam scholam habere.

INSTITUTIO PUERILIS.

1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.
VIII.	VII.	VI.	V.	IV.	III.	II.	I.
Lectio. Inflexio. Explicatio propositi alicuius scripti.	1. Partitio grammatices diligentior.	1. Repetitio rerum cognitarum.	1. Repetitio præceptionum et observatio generalis.	1. Repetitio Græcæ gr. et observatio consecutionis.	1. Repetitio Dialect. et Rhetoric.	1. Aristot. Analyt. et topic.	Capito.
	2. Inflexio anomalorum.	2. Explicatio { Ci. A. S. Virg. Aen. }	2. Explicatio { Cic. Or. Georg. Cæsaris. }	2. Ἀνάλυσις.	2. Cicero de oratore. Dem. Hom.	2. Plato.	
	3. Σύνταξις.	3. Analogiæ vocum.	3. Digestio collectarum formularum.	3. Explicatio { Dem. Ho. Cic. or. Sat. }	3. Κατηγορίαι et περὶ ἑρμην.	3. Mathematica.	Bucerus.
	4. Explicatio { Epist. Cic. Bucol. }	4. Resolutio et observatio singulorum præceptorum.	4. Stilus { liberæ orationis, ad strictæ or. }	4. Præcepta dialectica quas colligere oportet ex Aristotele.	4. Stilus.	4. Leges.	
	5. Resolutionis inchoata ratio.	5. Censura et ponderatio verborum et nominum.	5. Indicatio troporum figuraram et quædam προ γυμνάσματα ῥητ. et dial.	5. Præcepta Rhetorica collecta ex Herennianis et Hermog.	5. Commentationes.	5. Stilus et declamationes.	Hedio.
		6. Locutionum quæ raræ sunt et a grammaticis regulis variant annotatio.	6. Grammatica græca.	6. Stilus.			
		7. Coniunctio tum verborum tum sententiarum.	7. Fabellæ græcæ Æsopi selectiores.	7. Commentationes et dictiones subitæ.			
		8. Compositio brevium argumentorum.		Disputationes.			
		9. Modulatio carminum.					
		10. Regulæ generales confingendorum versuum.					
Catechismus.		Matthæus.	Acta.	Joannes.	Epist. Paul.	Novum et vetus Testamentum.	
1	2	2/3	2/3	2/3	3	3/4	4

INDEX OPERUM

QUIBUS USUS EST HUJUSCE THESIS AUCTOR.

Ex XIV° et XV° sæculo.

GERARDI MAGNI *Epistolæ XIV*. Edidit J. G. R. Acquoy. Amstelodami, MDCCCLVII, in-8°.

— *Epistolæ manuscriptæ*, in bibliothecis Hagæ Comitis et Hannoveræ.

THOMÆ A KEMPIS sive MALLEOLI *Opera omnia*. Edidit J. Badius Ascensius, Lutetiæ, MDXLIX, in-folio.

JOANNES BUSCHIUS. *Chronicon Windesemense.* Edidit Rosweyde, Antwerpiæ, MDCXXI, in-4°.

— *De reformatione monasteriorum Saxoniæ*, in LEIBNIZII *Scriptoribus rerum Brunswicensium illustrationi inservientibus* (MDCCI-MDCCXI).

Cf Editio nova a K. Grube, Halle, 1886, in-8°.

Ex XVI° sæculo.

ERASMI *Opera*. Edd. Clericus. Lugduni Batavorum, MDCCIII-VI, 10 fol.

MELANCHTHONIS *Opera*. Edd. Bretschneider et Bindseil, Hallæ, MDCCCXXXIV et seq., in-4°, vol. XI et XII.

J. STURMIUS *De literarum ludis recte aperiendis*. — *Consilium Scholæ Curatoribus*. Ex chartis gymnasii S[ti] Thomæ. Argentorati, Februario mense MDXXXVIII.

Ex XVII° sæculo.

ALBERTUS MIRÆUS. *Elogia Belgica, sive illustrium Belgico-*

rum Scriptorum Vitæ breviter commemoratæ, Antwerpiæ, MDCIX, fol.

— *Regulæ et constitutiones Clericorum in congregatione viventium*, Antwerpiæ, MDCXXXVIII, in-4°.

— *Diplomatum Belgicorum nova Collectio*, Bruxellis, MDCCXLVIII.

Bulæus. *Historia Universitatis Parisiensis*, Parisiis, MDCLXV-LXXIII, 6 fol.

J. Revius. *Daventriæ illustratæ* libri VI, Lugduni Batavorum, MDCLI, in-4°.

Lindenborn. *Historia episcopatus Daventriensis*, Coloniæ, MDCLXX.

Ex XVIII° sæculo.

Hamelmann. *Opera genealogico-historica de Westphalia et Saxonia inferiore*, Lemgo, MDCCXI.

Héliot. *Histoire des Ordres monastiques et militaires*, Paris, 1714, in-4°.

Dumbar. *Analecta Reipublicæ Daventriensis*, Deventer, MDCCXIX, in-4°.

Paquot. *Mémoires pour l'Histoire littéraire des Pays-Bas*, Louvain, 1745.

Ex XIX° sæculo.

Lambinet. *Recherches sur l'origine de l'Imprimerie, particulièrement au* xv^e^ *siècle en Belgique*, Bruxelles, an VII, in-8°.

Delprat. *Verhandeling over de Broedershap van G. Groot en over den Invlœd der Fraterhuizen*, 1839. — 2e Edition, Arnheim, 1856, in-8°.

Lisch. *Dissertatio. In der Jahrbüchern für Mecklemburgische Geschichte*, 1839.

Ullmann. *Reformatoren vor der Reformation*, Hambourg, 1841-42, — 2 vol. in-8°.

F. Cramer. *Geschichte der Erziehung und des Unterrichts in den Niederlanden*, Sralsund, 1843, in-8°.

W. Dillenburger. *Geschichte des Gymnasiums zu Emmerich; im Jahresbericht über den Schulcursus*, 1845-46, Emmerich, Romen, 1846, in-4°.

C. Stallaert et Van der Haeghen. *De l'Instruction publique au moyen âge*, Bruxelles, 1853. (Mémoire couronné par l'Académie royale de Belgique, 1850.)

G. Cramer. *Die Brüder vom gemeinsamen Leben*, Berlin, 1856.

Von Raumer. *Geschichte der Pædagogik*, Stuttgart, 1857, in-8°.

Wildenhahn. *Die Schulen der Brüder von gemeinsamen Leben, mit einem Einblick auf unsre Realschulen*, Annaberg, 1867.

Acquoy. *Het Klooster te Windesheim en zyn Invloed*, Utrecht, 1875, in-8°.

— *De Kroniek van het Fraterhnis te Zwolle*, Amsterdam, 1880.

K. Hirsche. *Die Brüder des gemeinsamen Lebens*, in Herzog's, *Real-Encyclopædie*, 1878.

Kæmmel. *Hieronymianer* in K. A. Schmidt's *Encyclopædie des gesammten Unterrichts.*

D. Reichling. *I. Murmellius, sein Leben und Seine Werke*, Fribourg in Brisgau, 1880.

K. Grube. *Gerhard Groot und seine Stiftungen*, Kœln, 1883.

Vidi ac perlegi,
Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,
pridie Idus nov. anni MDCCCLXXXVIII

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus
A. HIMLY.

Typis mandetur,
Academiæ Parisiensis rector,
GRÉARD.

SUMMA CAPITUM

VERSAILLES. — IMPRIMERIE CERF ET FILS, 59, RUE DUPLESSIS.